

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vindicatio Augustanae Confessionis ab impactis ipsi, a  
Roberto Cardinale Bellarmino, per summam iniuriam,  
libello cui iudicii de formula concordiae titulum fecit,  
viginti & duobus mendaciis**

**Titius, Gerhard  
Besecenius, Stephan**

**Helmetadi[i], 1656**

[urn:nbn:de:bsz:31-67740](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67740)



80A 8946 2

*Handwritten scribble*

\*KSIFCARNI\*  
K  
S  
I  
F  
C  
A  
R  
N  
I  
K

11.  
Rf  
ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 16.

6.

Histor.



Conspectus  
Dissertationum ad histo-  
riam Lutheri, refor-  
mationis, A. S. C. et  
Ecclesiae Luther.  
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-  
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-  
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute  
Henrica, Lutheri, Mattheae Fla-  
cii et Iacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-  
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-  
cis Rom. Leonis X. litterae in-  
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus  
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa romanus.  
7. loh. Wencesl. sen Lutherus  
cum sole comparatur.

8. Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus  
Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus  
Ursus Ursus Ursus Ursus Ursus

Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus  
Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus  
Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus Lutherus  
9. loh. Baldhaf Bernhold de cha. de cha.

factenbar pseudopropheta nuy  
in d. Martino Lutherus miratue  
omutau obauit.

10. Laurenti Rhodmanni oratio  
de praecipuis dei beneficiis a  
deo per VII. Saxonie electores  
et d. Martin. Lutherum et d.  
Philipp. Melancthonem in aca-  
demiam Witeberg. collatis.

11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-  
therus philippo Landgrauio  
bigauriam concesserit.


12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-  
thero ex accinatione styli re-  
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-  
ciae J. Lutheri et J. Melanch-  
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-  
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevici oratio histo-  
rica de initio, causis et pro-  
gressu C. A. et de vita ac  
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-  
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusti-  
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-  
dei formulae praecipue A.  
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo  
A. Conf.



19. Io. Christ. Guesz filii de Au-  
gustana confessione Pabli dot-  
Sicii, medici Halensis cura grae-  
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-  
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-  
vinae providentiae vestigiis  
et traditae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland ad  
do Regulam summi numeris  
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duena  
Poneraurae pro studio servatae  
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Comitum re-  
culana in A. C.
25. Geshardi Filii, Vindicalis A. C.
26. etud. Vindiciae Lutheranae.
27. M. Andr. Oru. Caroli de Religio-  
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam  
lutheranam non schismaticam  
esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia  
plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio  
Gallica multis modis luthera-  
nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-  
mationis lutheranae tuba de  
perpetuo christianorum iubi-  
lata. Additus est catalogus  
doctorum et professorum theo-  
logiae in academia Witteber-  
gerensi.

F r u i s .



VINDICATIO *xxv.*

# AVGVSTANÆ CONFESSIONIS

*Ab impactis ipsi, à ROBERTO Cardinale BEL-  
LARMINO, per summam injuriam, Libello  
cui Iudicii de Formulâ Concordiæ titulum  
fecit, viginti & duobus mendaciis.*

D. T. O. M. A.

publicè instituta

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE



## GERHARDO TITIO

S. THEOL. D. EIVSQVE PROF.  
ORDINARIO.

*Respondente*

STEPHANO BESECENIO  
HARRIHVSINO.

Ad diem Septembr.

 ) ( o ) ( 

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IO C LVI.



26 an 80 A 8946 R

ak

VIRI  
GENEROSIS NOBILISSIMIS ET  
MAXIME STRENVIS

DN. JOSIÆ  
DN. GODESCHALCO  
à VELTHEM

Fratribus germanis, hæreditariis  
in Harpfe & Ofstrom

Dn. Mæcenatibus, Evergetis & Patronis suis  
omni observantiæ cultu pro-  
sequendis,

Disputationem hanc Theologicam, animi memoria  
ac grati monumentum, in sui simul ulteri-  
orem commendationem submissæ  
ac reverenter

D. D. D.

Stephanus Besecenius  
Harrihufinus.



**A**ugustanam Confessionem, invariata[m] illam, anno superioris seculi trigesimo, in frequentissimis ac splendidissimis Comitibus CAROLO V. Cæsari potentissimo, à gloriosissimis S. R. Imperij Electore ac Principibus, & laudatissimis quibusdam civitatibus exhibitam, *Corporis Doctrina Iulii*, cui quotquot in hac illustri Academia Iuliâ publico docendi munere fungimur, sacramento obstricti sumus, partem sive primam, sive à primâ proximam, publicis Disputationibus eruditæ juventuti, sacra Theologiæ studia amplexæ, ordine discutiendam hætenus, sicut & superioribus annis, proposui. Eo enim exercitij in genere, si rectè instituitur, magnam ad erudiendos juniorum animos vim inesse, experienciâ comprobatum est. Nam & interrogandi de vero doctrinæ nostræ sensu datur occasio, & copia fit adversariorum argutias in medium proferendi, ubi obscura illustrantur, evolvuntur ambigua, retexuntur monstruosæ connexiones, fuci denique, quibus Sophistica faciem pingere solet, deterguntur. Quæ singula, quantum ad veritatis inquisitionem afferant momenti, consideranti non poterit esse obscurum. Placet autem institutis publicis illis Diatribis colophonem quasi imponere præsentis Exercitatione, eaque ad viginti & unum, à Roberto Cardinale Bellarmino, libello scurrili, cui *Judicij de Formula Concordiæ* titulum fecit, protervè impacta Confessionis mendacia respondere, & Lojoliticam hominis impudentiam ad meridianum solem detegere. Nam ut falsis ponderibus ac mensuris, ita & vanis persuasionibus (accusationibus) multum decedit, cum ad justum examen exiguntur. Rem ipsam

Luther.  
Præfat.  
Catech.  
mai.

ipsam autem ita instituat, ut Bellarmini verba, in compendium quidem contracta, nullo tamen, in quo nervum ille causæ suæ constituat omisso, primum exhibeam, tum statim subjiciam responsionem. Vbi hoc etiam verbo in antecessum indicandum erit, cum duo priora mendacia Bellarminus non ipsi Confessioni, sed *Libro Concordiæ* impropere, illis hæc vice sepositis ab examine tertii, quod Præfationi Confessionis aspersit, initium discussionis me facturum. *Exsurge Deus, & dissipentur inimici tui!*

### MENDACIVM III.

Præfat. Conf. ad Carolum V, ita habetur: *Offerimus in hæc religionis causâ nostrorum concionatorum & nostram Confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis & puro Dei verbo HACTENVS illi in nostris terris, ducibus, ditionibus & urbibus tradiderunt, ac in ecclesiis tractaverunt.*

Bellarminus dicit hoc insigne mendacium esse, idque existimat cognosci posse ex eo, quod Confessio Lutheri (intelligit XVII. illos articulos, à Luthero, jussu Serenissimi Saxoniae Electoris IOHANNIS, cum jam Augustana comitia imminerent, conscriptos, quos Historiæ Augustanae Confessionis inferuit Chytraeus) in multis ab Augustana dissentiat, cum tamen eodem anno 1530 edita sit, neque credibile videatur melius Lutheranos, quam Lutherum ipsum quæ sit Lutherana doctrina scire potuisse. Hoc ut probet, affert in medium sequentia exempla. I. Articulus XI, Lutheranae Confessionis habet; *Quod Confessio privata debet esse libera, Confessio autem Augustana, Articulus de abusibus, de Confessione docet, apud suos non solere porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis.* Et in artic. de Missâ; *Nulli admittuntur ad sacramentum, nisi antea explorati & auditi.*

Resp. nullam in his contradictionem comparere, Confessio privata, omnium delictorum enumerationem complexa,

plexa, debet esse libera, dicit Lutherus: Confessio privata in genere facta, apud nos non est libera, dicit Augustana Confessio. Quid hic quæso contradictionis, quid pugnae quisquam intelligens deprehendat? cum nec subiectum utrobique idem sit ut manifestum est, nec prædicatum ut jam ostendam. Illud nempe in priore propositione loquitur de jure, & quidem de jure potissimum divino, in posteriore loquitur de facto. Bene autem consistunt illa duo, aliquid de jure liberum esse, & fieri aut non fieri posse, de facto autem liberum non esse, ob justas & graves causas, rem per se liberam ad alterutrum oppositorum pro tempore adstringi postulantes. Cujus rei exempla totâ die in civili republicâ occurrunt. Il. affert, quod artic. xvi. Lutherana Confessionis velit *Missam præ omnibus abominationibus esse abrogandam*: Confessio verò Augustana artic. de Missâ falso dicat *accusari ecclesias nostras, quod Missam aboleant* etc. Sed Bellarminus rursus legum contradictionis est oblitus. Non magis quam priora, pugnant scilicet hæc duo; Missa Papistica (sacrificium phantasticum illud, *proprie ipsi dictum*, propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum) est abolenda: Missa verè Christiana & Apostolica, hoc est, distributio Eucharistiæ, nec abolenda, nec apud nos est abolita. Esse autem Confessioni sermonem de Missa in posteriore, hoc est genuino significatu accepta, eopse articulo clarè indicatur, quando sub finem, & postquam de Missis privatis dictum esset, ita porro verba fiunt: *Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione. Cum autem Missa talis sit communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis Missa, singulis feriis atq; aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his qui petunt.*



Postillâ dicit Bellarminus, nec Augustanam Confessionem à Philippo fabricatam, nec Lutheranam, quæ Augustanam sine dubio pepererit, cum eâ doctrinâ concordare, quam initio Lutherus & Melancthon tradiderint: Addit, se audivisse Iob. Cochleum eodem anno 1530 collegisse articulos ex libris Lutheri & Philippi, contra singulos articulos Aug. Confessionis, se de eos se nondum videre potuisse. Quæ quia cassâ saltem verba sunt, responsionem nullam merentur. Tantum ad illud, quod Confessionem Augustanam à Philippo fabricatam dicit, annotabo hic verba ipsius Philippi, Præfatione Primi Tomi Operum suorum: *Congessi simplicissimo studio capita Confessionis quæ exstat. Ac nihil mihi sumpsit. Præsentibus Principibus & aliis, gubernatoribus & concionatoribus, disputatum est ordine de singulis sententiis.*

Ne tamen frustra nos opposito terribili illo Cochleæo terreret Bellarminus, jactitat sese quoque quod præstiterit Cochleæus, nullo negotio præstare posse. Et ne sit prolixus, vel se saltem conferre duos aut tres principales Confessionis articulos cum Lutheri & Philippi doctrinâ. Nostrum itaque erit, tam luculentæ sapientiæ aures animumque advertere.

Dixerat Augustana Confessio articulo primo; *Ecclesias apud nos magno consensu docere decretum Nicæna Synodi, de unitate essentia & tribus personis in Deitate verum, & sine ulla dubitatione credendum esse: Damnare nos omnes hæreses, contra hunc articulum exortas.* Bellarminus statim præparatam habet cavillationem, & magno hiatu promittit se ostensurum, quàm verè Lutherus crediderit Nicænum decretum. Accusat itaque Lutherum, (1) quod in libro quodâ contra Iacobum Latomum scripserit, *anima me odit hoc verbum ὁμοῦσος* (2) quod libro de Conciliis dicat, Hieronymo quoque hanc vocem displicuisse, *Hieronymum scripsisse ad Episcopum Romanum Damasum, & cupisse expungi vocabulum ὁμοῦσος.*

*ἁμοστος*. Vbi fraudem simul commisisse Lutherum per-  
tendit, quod Hieronymus non de voce *ἁμοστος*, sed de  
voce *ἰποστοςτος*, quæ ambigua ipsi visa fuerit, illic loci  
meminerit. (3) quod ex precibus communibus Germanorum  
illam precariunculam sustulerit, *sancta Trinitas miserere nobis.*

Resp. Hanc neque Dialecticam neque sophisticam  
esse, sed plane sicophanticam. Lutherus in priore exem-  
plo, libro contra Latomum conditionatè loquitur; *Quod*  
*si* (verba sunt) *anima mea odit vocem homousion, & NOLIM*  
*eã uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti, modo REM*  
*veneam quæ in Concilio per scripturas definita est.* Aliàs Lu-  
thero vocem illam *ἁμοστος* absolutè non displicuisse, do-  
cent ejus verba Libro de Conciliis Tom. vii. Ien. Germ.  
fol. 257. lat. b. *Das man nicht solte brauchen mehr oder an-  
dere Worte/ weder in der Schrifft stehen das kan man nicht  
halten sonderlich im Sanct/ vnd wen die Keher die Sache mit  
blinden griffen wolten falsch machen/ vnd der Schrifft Wort  
se verkeren (uti scilicet factitabant Ariani) da war von nöthi-  
gen/ das man die meinung der Schrifft/ so mit vielen Sprü-  
chen gesehet/ in ein kurz vnd Summarien Wort fasset/ vnd  
fraget/ ob sie Christum homousion hielten? Wie der Schrifft  
meinung fast in allen Worten ist. Quæ verba contra eos  
quoque notari merentur, qui terminis artium, ferente ne-  
cessitate, & ubi cum adversariorum argutiis conflictan-  
dum est, in disputationes theologicas intromisissis, irascun-  
tur hoc prætextu, quod cum scripturâ unicè sit loquen-  
dum. Sed hoc obiter monitum esto. (2.) in citandis Hi-  
eronymi verbis potuit Lutherus procul omni dolo *σφαλ-  
μα μνημονικόν* obrepere. (3.) Verba illa, *sancta Trinitas mi-  
serere nostri* Lutherus è publicâ ecclesiæ Litaniâ non ideo  
submovit, quod Trinitatem non crederet; retinuit enim  
ista omnia, *Pater de calis Deus, Fili redemptor mundi Deus,  
Spiritus**

*Spiritus Sancte Deus, miserere nostri; sed quia vocem Germanicam Dreifaltigkeit triplicitatem potius quam Trinitatem importare existimaret. Committit itaque Bellarminus fallaciam causæ, ne non Sophistam agnoscas.*

Sed ille jam ad novum conatum convertitur. De incarnatione, modo cum Nestorio, modo cum Eutyche Lutherum nostrum perhibet sensitse. Nam (1.) in concione de natali Domini dicere eum; *imperitas quosdam Christum facere hominem omnipotentem.* Hinc elicit ille; *si ille homo Christus, non est omnipotens, non erit Deus. Duo igitur erunt, Christus Deus, & Christus homo, quæ est aperte Nestoriana sententia.* Verbo huic cavillationi satisfieri potest. Disputat ibi Lutherus contra Svecfeldianos, Eutyichis propaginem, & concretum, *hominem*, pro abstracto, *humanitate* usurpat, quemadmodum vetustissimi quoque Patres, abstracta pro concretis, & vice mutata, hæc pro illis sæpè hinc usurparunt. Hoc itaque vult Lutherus; humanitatem Christi formaliter, intrinsecè & per se non esse omnipotentem. (2) E Nestoriano in Eutyichianum transformare laborat Lutherus, quod libro de Conciliis part. 2, dicit: *Mihi paulò ante negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod divinitas Christi non posse pati.* Ad quæ ille rursus; *divinitas est nomen nature; quis non videt à Luthero naturas confundi? & similia plura.* Militat autem hinc similis, qualem paulò ante dedi, responsio, præsertim si scopus dicentis, & integer contextus consideretur. Ponit jam Lutherus abstractum pro concreto, divinitatem pro Deo, atque ita in re ipsa rectè sentit, quicquid sit de modo loquendi. Cui soli, si quis tenaciter nimis inhærere velit, poterit ipsum quoq; S. Iohannem Eutyichianismi postulare, quando ille in Evangelio *verbum carnem factum esse docet, caro enim* (diceret Bellarminus) *est no-*

est nomen natura; quis non videt à Johanne confundi naturas?

(4) Queritur Cardinalis, Lutherum animi sui propensionem in Nestorium & Eutychem ostendere Libro eodem de Conciliis, dum utriq. Zelum bonum, animum sincerum & fidem rectam tribuat, & solum ex inscitia quadam in modo loquendi lapsos dicat, totam verò causam tumultuum & perturbationis illius temporis, in episcopos Catholicos referat. Et eò usq. tandem progrediatur, ut dicat, vereri se, ne in extremo iudicio aliqui, qui dicantur hæretici, iudices sedeant, & episcopi qui illos in Conciliis damnaverunt, in æternum pereant, tantum non aperte affirmans, Nestorium & Eutychem cum Christo iudices futuros, Sanctos verò Leonem & Cyrillum in æternum perituros. Verum lector Bellarmino credere non properet. Disertè enim Lutherus Nestorium fol. 236, Lib. cit. lat. b. vocat einen Stolzen ungelehrten Bischoff/ fol. 264. sollen heiligen vnd Unverstendigen Man. Et de utroque, Nestorio & Eutyche fol. 267. ait, Unverstand vnd Grobheit ist das vnd zeuget das sie böse Dialectici gewesen sein. Folio quidem 263. (quem locum Bellarminū respicere arbitror) dicit, hieraus siehet man das Nestorius Christum mit rechtem Ernste meinet/ sed intelligit illud secundum quid ut loquuntur, nempe dum divinitatem Christi retinere studet, nec videri vult duos Christos introducere, etsi ea ponat, è quibus illud necessario sequatur. Vnde statim addit, Aber nach seinem Unverstand weis er nicht was vnd wie er Redet/ & quæ ibi porrò sequuntur. Vt autem porrò Bellarminus, propensionem nescio quam, erga hos hæreticos, Luthe- ro affingens, falsitatis convincatur, notentur hæc sequentia Lutheri verba Libr. cit. fol. 269. Ist nun Eutyches oder Nestorius Stolz vnd steiff auf seinem Sinne blieben / (wie ich nicht richten kan / noch sol / so weit ich die Historien gelesen / nach der Bischoffe vnterricht / so sind sie nicht alleine als

B

Reher/

Reker / sondern als grobe Narren billig verdammet. *Quæ sanè satis produnt, quo affectu Lutherus in hos hæreticos fuerit. Pertexat autem sermonem Lutherus; Sind sie aber nicht steif auf ihrem Sinne gestanden / wie sonderlich von Eutyches der Concilien acta selbst melden / vnd sie haben nicht nach S. Paulus Lehreden Irrenden freundlich unterrichtet / so haben sie dennoch die Sache an ihr selbst Recht geurtheilet / aber mit ihrem Stolz vnd geschwinden fürnehmen -- sich wol müssen für dem Richter verantworten.*

*Porro utrumque, & Nestorium & Eutychem ex inscitia in modo loquendi non tam lapsos esse, ut Bellarminus citat, quam aliquo loquendi modo offensos esse, & erroneum in eo sensum, utique ex inscitia, sibi finxisse, rectissime sanè docuit Lutherus. Audiamus rursus ipsissima ejus verba. Libro de Conciliis, fol. 267. Gleich wie dein Sohn Petrus heisset gelert / so doch solch Idioma allein der Seele vnd nicht des Leibes ist / vnd ein Eutyches möchte alsfenzgen / Nein / Petrus ist nicht gelert sondern seine Seele / wiederum ein Nestorius / Nein / ich habe deinen Sohn nicht gestempet sondern seinem Leib / das lautet / als wolt man aus Petrus zwei Personen machen / oder nur eine Natur behalten / so es doch nicht so gemeinet wird / Unverstand vnd Grobheit ist das / vnd zeuget das sie böse Dialectici gewesen sind. Et rursus fol. 269. lat. b. Nun ist gewis aus der Tripartit / das Nestorius habe Christum für rechten Gott vnd Menschen erkand / auch ganz hefftig / vnd ist kein Arrianer gewesen / die schlechte Christum nicht für Gott hielten / sondern er hat sie verzaget vnd verfolget auch durch Mord vnd Schlachten / aber das ist seine Kekerrey / das die idiomata haben Ihn bestärket vnd irre gemacht / das Gott solte vom Weibes Bilde Geboren vnd Gezeuget sein. Darumb mus Eutyches Kekerrey / wieder sinnlich also gethan sein / das er Christum auch für Gott vnd Menschen*

sehen helf/ aber die idiomata Göttlicher Natur nicht wil geben dem Menschen / gleich wie wiederumb Nestor die idiomata Menschlicher Natur / nicht wil Gotte zu messen in Christus einiger Person / das heisset wiedernander / oder ümgekeret.

*De causâ tumultuum & perturbationis illius temporis, in episcopos Catholicos à Luthero collata, nihil ibi invenio. Invenio autem illa verba, ad quæ itidem Bellarminum in- criminatione suâ respexisse puto: Da siehest du / wie die idi-* fol. 269, lat. b.  
*omata unversehens unbedachte Leute fürn Kopf stossen / vnd irre machen. Hier solte man zulauffen / mit Sanftmut vnterrichten / vnd nicht mit Stolz die Irrigen verdammen. Gott gebe das ich Lüge / ich forge das etliche Rezer am Jüngsten Tage Richter / vnd die Richterbischoffe verdamt sein werden. Quæ sanè sicut generaliter dicta, & minimè vana sunt, ita à Bellarmino non debebant ad hæc in specie Concilia, Ephesinum nempe & Chalcedonense accommodari. Nisi fortè in tantum Lutherus verba illa sua ad hæc quoque concilia voluerit pertinere, das man sollen zulauffen / mit Sanftmut vnterrichten / vnd nicht mit Stolz die Irrigen verdammen. Aliàs enim suprâ audivimus contentem, so haben sie dennoch die Sache an ihr selbst Recht geurtheilet.*

Proximus nunc Luthero vapulat Philippus. Cujus è Locis, quos vocavit, quasdam circa mysterium Trinitatis & Incarnationis liberaliores & laxiores usurpatis locutiones, coacervat, & in odium contorquet Cardinalis. Singulas apponere & considerare, nec libet nec opus est. Sufficit ad Bellarmini cavillationes retundendas hoc unum notare; cum Philippum ex aliis manifestissimis, eorundem ad quæ ipse provocat, librorum locis, rectè & Catholicè de mysteriis Trinitatis & Incarnationis sensisse constet, ex iis incommodiora aut duriora, sicubi aliqua occurrunt, interpretanda esse, nisi quis æthiopicum can-

dorem ad censuram afferre velit. Cui sanè, si Bellarmini exemplo indulgere velis, parili artificio & facilitate Bellarminū ipsum ilicò Arianum hæreticum effeceris. Ecce enim statim præ manu exemplum! Libro 1. de Christo Cap. xviii, ad locum Proverb. 8, *Dominus creavit me*, etc. quindā quam ipse *pulcherrimam* vocat, responsione, dicit *filium Dei aliqua ratione posse dici* CREARI. Vbi ex ore ipsius meritò rursus exclamare poteramus. *Quid clarius pro Ariana hæresi dici poterat?* Aut itaque Bellarminus ab solvata intentato ex incautioribus quibusdam dictis hæreseos crimine Philippum, aut ipsum ex simili causâ, eandem cum illo culpam subire oportebit.

*Veniamus*, pergit Bellarminus, *ad articulos de Libero Arbitrio, & Causâ peccati, & videamus an id SEMPER Lutherus & Philippus docuerint, quod in Confessione nunc*, artic. xviii, *docent*. Et profert loca quædam Lutheri & Philippi, de Libero arbitrio, contingentia & causâ peccati, quæ extra contextum & scopum Disputantium inspecta, asperius nonnihil sonant, de quibus quid habendum sit, paulò post verbis Chemnicij edisseremus. Hoc loco illa à Bellarmino eo saltem sine afferuntur, ut ostendat, mendacium dixisse Præfationem Confessionis, quando ita infit; *offerimus in hac religionis causâ nostram & Concionatorum nostrorum Confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis & puro Dei verbo* HACTENVS *illi in ecclesiis tractaverunt*. Sed inane est hoc etiam Bellarmini molimen. Quid enim? an non vera erit hæc oratio; *doctrinam quam in hac confessione offerimus, HACTENVS è verbo Dei concionatores nostri tractarunt*, etiam si non intelligas initia Disputationum Lutheri cum Pontificiis, sed tempora posteriora, in quibus ipsa tractatio multa ostendit ut loquitur Chemnitius quem mox pluribus audiemus. Omninò sanè, idque videt Bel-

13  
dit Bellarminus, & occupandum sibi ratus, non ignoro inquit (post recitata prolixè Lutheri & Philippi verba) *Lutherum in visitatione Saxonica, & Philippum in Locis editis posterioribus annis, longè aliter docuisse de Libero arbitrio & causâ peccati, quàm antea docuerant, cum haberent primitias Spiritus; tamen id neg. mendacium Præfationis excusat, & arguit inconstantiam.* Pro imperio saltem hic edicit, non verò probat Bellarminus, non excusari ita mendacium (quod criminatur) Præfationis. Nemo etenim adeò communis sermonis ignarus est, qui nesciat vocem *hactenus* indefinitè, ad tempus præcedens terminū illum ad quem respicit, se porrigere, nec necessariò id postulare, ut omne retro tempus præcedens intelligatur. Bellarminum sanè adeò hoc non latuit, ut pro voce *HACTENVS*, quo Præfatio Confessionis utitur, ille vocem *semper*, quæ cavillationi ejus magis apta erat, mala fide substituerit. Sed nec unquam etiam Lutherus omnem promiscue libertatem arbitrij, aut contingentiam sustulit, quod verbis maximi Chemnitij heic proponere commodum videtur, è quibus simul apparebit, non novam, nec in Bellarmini cerebro prognatam esse hanc accusationem.

Chemnitius *Locis Communibus de Causâ Peccati* Cap. viii. fol. 424 edit. in 3vo. *In conventu Augustano Eccius per integrum diem exagitavit Philippum, quod mutatâ sententiâ aliter sentiat & loquatur in confessione de causâ peccati, quàm in Principio scripserit. Et postea idem repetiit in libro quem scripsit de Actis colloquii Ratisbonensis. Hac agebat sunt tua Philippe verba in 8. Cap. Rom. in edit. anni 25: Hæc sit certa sententia, à Deo fieri omnia tam bona quam mala. Item; Nos dicimus non solum permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere, ut sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fateantur opera Dei*



Dei propria esse, sive quæ media vocantur, ut comedere, sive quæ mala sunt, ut Davidis adulterium. Constat enim Deum omnia facere non permisivè sed potenter, id est, ut sit ejus proprium opus Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio. *Item, nonne, agebat, in principio Lutherus disputavit, nec in bono nec in malo esse liberum arbitrium, sed omnia evenire necessitate absolutâ, Deum etiam mala in nobis operari? An etiam non ex diametro hæc pugnant cum illâ sententiâ, quam posuistis in articulo 18. & 19. Confessionis? Hæc Eccius.*

Respondet jam doctissimus Chemnitius. *Sed candidè consideretur occasio disputationum illius temporis. Resonabant & templa & schola talibus encomiis Liberi arbitrii; Hominem ex puris naturalibus posse implere omnia mandata Dei, quoad substantiam actus. Item faciendo quod in se est, mereri gratiam de congruo. Opposita sunt ergò disputationes illæ; imò ne in externis quidem arbitrium omninò est liberum. Variis enim modis impeditur - Et multa impiorum consilia Deus impedit & aliò vertit Et tamen Lutherus disertè dicit, arbitrium liberum esse non re-*

*spectu superioris, sed pertinere ad inferius hoc hemispherium, item, Deum non esse causam peccati. (Lutherus Gloisâ vernacula fol. 609. Auf das vermeinte Keiserliche Edict, apud Chytræum Hist. Aug. Conf. Ich Rede vom freien willen gegen Gott/ vnd in der Seelen Sachen/ den was solt ich viel Disputiren vom freien willen/ der über Rûe vnd Pferde/ über Gelt vnd Gut regieret? Weis fast wol/ das Genesis am ersten/ Gott dem Menschen hat Herschafft gegeben über Vieh vnd Erden etc. Solches gehört hier nicht her) Sed ut ut sit, si illa, quæ in principio hæc de re disputata sunt, conferantur ad explicationes quæ nunc exstant, facile appareat, non potuisse in principio tam distinctè & commodè hæc intricatam disputationem declarari. Ipsa enim tractatio postea multa ostendit, sicut Augustinus dicit, se proficientem scripsisse. Hæcenus Chemnitius.*

Neque

15  
Neque verò est ut Bellarminus *inconstantiam* id argue-  
re, tandem objiciat, si Lutherus sententiam aliquam sive  
mutaverit sive declaraverit. Nisi fortè semetipsum hoc  
pacto simul *inconstantia* arguere velit, qui *sanctum Augu-*  
*stinum imitatus*, libros suos *controversiarum recognoscere & di-*  
*judicare voluit*, paucis quæ minus placebant *correctis*; ut ipse  
Recognitioni librorum suorum, *Ad Lectorem*, inter alia  
præfari non erubuit. Nempe *Papistæ sibi facile ignoscunt*,  
*aliis non item*, ut ille apud Poëtam, *Ego met mi ignosco*, *Menius*  
*inquit*. Apolog. Conf. de Iustificat. resp. ad argumenta adver-  
sariorum, fol. 105. edit Lips. in 8vo anni 1618.

#### MENDACIVM IV.

Artic. XII. *Rejiciuntur & isti, qui non docent remissionem*  
*peccatorum per fidem contingere, sed docent remissionem peccato-*  
*rum contingere propter nostram dilectionem & opera.*

Bellarminus non dubitat, quin his verbis notentur Catho-  
lici (Papistæ) omnes, & præsertim Theologi Scholastici. In Apo-  
logia enim ad nauseam repeti, quod Scholastici doceant justificatio-  
nem non contingere ex fide, sed ex operibus, hoc est ex operibus si-  
ne fide. At non est ista: pergit, nec unquam fuit doctrina eccle-  
siae Catholicae, nec etiam Scholasticorum Theologorum. Semper  
enim docuimus & docemus, justificari homines ex fide, & dilecti-  
one, & operibus bonis, ita ut ad præparationem ac dispositionem  
ad justificationem requirantur actus fidei, spei ac dilectionis, quos  
ipso tamen non habemus, nisi Dei gratia præveniente, excitante  
& adjuvante. Cumque Concilij Tridentini quædam hanc  
in rem verba interjecisset, concludit; *vides igitur, fidem nun-*  
*quam excludi, sed contra potius semper requiri, sive de ipsâ justifi-*  
*catione agatur, sive de iis, quæ illam aut præcedunt, aut etiam*  
*consequuntur. Ac ne dicant Lutherani novam hanc esse doctri-*  
*nam, & Papistas, demum ab ipsis excitatos, sapere cœpisse, pro-*  
*ducit*

ducit locum quendam Thomæ, docentis *motum fidei ad justificationem impii requiri.*

Resp. Bellarminum nobis se ostendere impostorem, & Confessionem hîc omni mendacij culpâ vacare. Quod enim Papistæ ante justificationem requirant fidem, sumptam pro generali assensu verbo Dei præbito, tanquam dispositionem remotissimam, cui postmodum reliquas, spei, timoris, dilectionis dispositiones propiores adjungant, quibus omnibus positis sequatur illa, quam ipsi comminiscuntur, infusio justitiæ, quâ peccator formaliter justus reddatur; hoc sicut non ignorarunt Confessores nostri, ita nec diversum Papistis tribuerunt. Sic enim Apologia ad hunc ipsum articulum XII. de Pœnitentiâ fol. 172. edit. Lips. in 8vo; *Adversarii cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem non hanc, quæ justificat, sed quæ in genere credit Deum esse, pœnas propositas esse impiis etc. Nos præter illam fidem, requirimus, ut credat sibi quisque remitti peccata. De hac speciali fide litigamus, etc.* Et rubricâ de *Justificatione* sub finem: *de hâc fide (speciali, id enim præcedit) nulla syllaba exstat in doctrinâ adversariorum nostrorum.* Certe Bellarminus Libro III. de *Iustificat.* Cap. x, in fine, fidem istam specialem perniciosam *heresin* vocat. Ipse itaque haut invitus fatebitur, de eâ nihil apud Papistas suos & scholasticos haberi. Hoc ipsum verò si fatebitur, absolvet à mendacio Confessionem, quando Papistis illa tribuit, *non docere ipsos remissionem peccatorum contingere per eam, de quâ ex Apologiâ audivimus fidem.*

#### MENDACIVM V.

Artic. XIII. Conf. habentur hæc verba: *Damnant igitur illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti*

remitti peccata. Hoc etiam loco, ait Bellarminus, Theologi scholastici notantur, quasi doceant, sacramenta etiam sine fide prodesse. Sed apertum mendacium est, ad quod refellendum unius S. Thomæ testimonium sufficit, qui 3. parte, qu. 68. art. 8, Recta fides inquit, ex necessitate requiritur ad baptismum, quia sicut dicitur Rom. III. iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Et infra; Ad primum ergò dicendum, quod Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum quod perducit homines ad salutem, per gratiam justificantem, quod quidem sine recta fide esse non potest, & ideo signanter dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.

Resp. Bellarminum rursus ludere ambiguitate vocis fidei. Qualem enim Papistæ fidem in usu sacramentorum requirant, id pellucet è prolatis posterioribus Thomæ verbis. Dicit Thomas, *baptismum perducere homines ad salutem, per gratiam justificantem, quod sine recta fide esse non possit.* Quis verò est quem lateat, qualem Papistæ fidem prærequirant, quando gratia justificans, ea quam ipsi docent, veniat infundenda? Nempe generalè illam, de qua jam ante diximus. At nos ad salutarem sacramentorum fruitionem requirimus specialem fidem, verbum gratiæ, sacramentis à Christo institutis annexum, suscipienti in individuo applicantem. Sic Apologia hoc in loco: *loquimur hic de fide speciali — quæ credit offerri remissionem peccatorum.* Hanc Scholasticos nullibi docuisse ad salutarem sacramenti usum requiri, non poterit Bellarminus, per ea quæ paulò ante diximus, negare, qui & passim fidem illam modo *hæresim*, modo *Lutheri commentum*, modo *stultitiam vocat.* Rursus itaque per fraudem Confessioni hic mendacium impiegit Bellarminus.

Aliàs non ignoramus, quomodo Cardinalis noster  
C veterum

veterum Scholasticorum de Opere Operato crudas sententias *omnibus* *Quædam* condire laboret. Libro II. de Sacram. Cap. I. §. igitur, contendit, idem esse sacramentum conferre gratiam ex Opere Operato, quod, conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis, à Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Qualia repetit hoc ipso libello, Mendacio quod vocat XVII. Sanè, si Bellarminus & reliqui scriptores Papistici seridè ita sentirent, si Operis Operati nomen tantùm merito agentis vel suscipientis opponerent, non autem exclusum irent illo ipso fidem suscipientis, qualem nos describimus, eamq; ad salutarè fructum è sacramenti susceptione capiendū, necessariam faterentur, quia sententia vera est, nulla esset controversia, neq; enim de modo loquendi odiosè vellemus dimicare, aut certe diceremus illud Augustini: *Mentem teneant & corrigant linguam. Sed nec olim Scholastici omnes id senserunt, licet quidam fermè ita disputent, & ne nunc quidem Pontificij hoc volunt, quando pro opinione Operis Operati dimicant, sed longe aliud monstrum sub exoticis illis verbis alitur, & ecclesia obruditur; verba sunt Chemnitij Exam. Concil. Trid. part. II. De Opere Operato non procul ab initio. Doctissimus quoque Ioh. Gerhardus Bellarm. Orthodoxias Teste Decad. II. Disput. XIX, §. 37, cum Bellarmini verba è Libro II. de sacrament. adduxisset, subjungit; sed in hac explicatione reliqui non subsistunt. Certè Bellarminus ipse in eâ non subsistit, ut apparebit è verbis ejus Libr. II de effect. Sacram. Cap. XXI, §. Secundo probatur ratione &c. quæ hic subjiciemus. Verba sacramentorū aut diriguntur ad personas, sed consecrandas vel absolvendas, non autè instruendas & docendas, ut in Baptismo & absolutione, & proinde per accidens est, si persona intelligat. Cujus signū est, quia verissimè & efficacissimè baptizantur & reconciliantur etiā ii, qui non utuntur ratione, ut patet in baptismo infantū, & in reconciliatione*

agro-

fol. 40. edit.  
in 8vo mai.

agrotorū qui à sensibus sunt alienati, quos posse reconciliari, ut etiam  
baptizari si baptismo careant, ait docere Augustinum. Hanc  
Opinionem jure merito Confessio damnavit.

#### MENDACIVM VI.

Artic. XVI. Conf. ita habetur: *Damnant & illos, qui evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei, & fide, sed in deserendis civilibus officiis.* Bellarm. hic; Mendacium hoc est manifestum contra Cathol. professores ordinū religiosorum, quasi existiment perfectionem propriè consistere in deserendis civilibus officiis, conjugio, militiâ, magistratibus. Neque veteres neque recentiores monachi unquam hoc docuerunt. Et adducit Cassianum, qui jejunia etc. privationem facultatum, *perfectionis instrumenta;* Thomam, qui *instrumentaliter* perfectionem in consiliis (evangelicis illis, sic dictis) consistere doceat.

Resp. Bellarminum hoc ipso loco & sibi contradicere, & Confessionem à mendacij crimine liberare. Ipse enim, cum vix τὸ σκληρὸν μαθητῶς protulisset, & monasticam vitam schemate *instrumenti* adipiscendæ Christianæ perfectionis circumvestisset, statim ad ingenium revertens, contendit, quod *status perfectior simpliciter* (non instrumentum acquirendæ perfectionis) *sit eorum, qui deserunt omnia propter Christum, nec implicantur negotiis secularibus, quàm aliorum qui hoc non faciunt.* Addit & dilaudat Eusebii ex libro I. de Demonstr. Evangelia Cap. VIII. quædam verba; *in ecclesia Dei duos vivendi modos institutos esse, alterum naturam nostram & communem hominū vitæ rationem excedentem, non nuptias, non sobolem, non opum facultatem requirentem -- & talem existere in Christianismo vitæ perfectæ modum. Alterum etc.* Bellarminus itaque ipse, vitam religiosorum quos vocant, statum *perfectiorem* statu reliquorum Christianorum, *vitæ perfectæ modum* appellat. Quod sanè longe aliud

ge aliud est, quàm quod de *instrumentis* perfectionis paulo ante dicis gratiã proferebat.

Frontem porrò perfricat Bellarminus, quando scribit, *neq; veteres neq; recentiores monachos unquam docuisse, perfectionem ipsam consistere in sua illã monastica.* Dudum huic impudentiã occurrit articulus Confessionis de votis monachorum, quando sub finem inquit; *ante hæc tempora Gerson reprehendit errorem Monachorum de Perfectione, & testatur suis temporibus novam fuisse vocem, quod vita monastica sit status perfectionis.* Et certè ipse Gerson Dialogo de perfectione Cordis parte III. Operum ita scribit: *Sorritur deniq; talis qualibet religio* (quas ex Anselmo paulò ante factitas nominaverat, quia facta videantur post institutionem legis evangelicæ) *nomen status, ratione jam præactã, imò & STATUS PERFECTIONIS, secundum MODERNOS, ANTIQVIS SILENTIBVS appellatur.* Cumque objecisset in illo Dialogo Anima; *Quo pacto potest nomen istud tam egregium & nobile, plurimis qui sunt in hujusmodi religionibus professi, convenire? quos esse nemo negat multum imperfectos, vel ignorantia, vel ex naturali & morali impotentia, vel ex certa malitia.* Respondet Theologus; *Responsio jam, sicut & obiectio præacta est. Pro cuius elucidatione pleniori, distinguunt loquentes de perfectione statuum, quod status est aliquis perfectio nis non ut habita, sed adipiscenda, quoniam in ipsum & per ipsum satagit profitens perfectionem acquirere non qualicumq; modo, sed specialiter per tria votu cum annexis regula & institutis.* Replikat Anima; *Ecce jam approbare videtur distinctio illud, quod causabatur de impropriate locutionis, dum Status perfectionis ille dicitur, qui non ex se perfectos habet sed perficiendos. Videat Logicus si sequitur; iste est status perfectionis acquirenda, ergo est status perfectionis. Numquid non aptius vocatur schola, vel via, vel disciplina ad perfectionem adipiscendam, quam status perfe-*

perfectiōnis absolutè? Quis diceret quod religiosus est in statu gloria perpetuæ? est tamen in statu talis gloria non quidem adeptæ sed adipiscendæ. Tandem itaque Theologus, rei veritate convictus; Nolumus, ut prædiximus, ubi de re constiterit, deservire contentioni de nomine. Hæc ibi & similia plura Gerson. Equibus sole clarius est, monachos religiones suas factitias perfectiōnes simpliciter nominasse, & hanc jactantiam novam atque absurdam Gersoni visam esse.

21

Nunc adjiciemus verba Apologia, hoc ipsum negotium versantis. Adversarii, volunt astute moderari vulgarem persuasionem, de perfectiōne. Negant monasticam vitam perfectiōnem esse, sed dicunt statum esse acquirendæ perfectiōnis. Bellè dictum est, & memini hanc correctionem exstare apud Gersonem. Apparet enim prudentes viros offensos immodicis illis encomiis vitæ monasticæ, cum non auderent in totum detrabere ei laudem perfectiōnis, addidisse hanc ἐπιταγήσων, quod sit status acquirendæ perfectiōnis. Hoc si sequimur, nihilo magis erit Monastica status perfectiōnis, quam vita agricola aut fabri. Omnes enim homines, in quacumq; vocatione, perfectiōnem expetere decet, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi & similibus virtutibus spiritualibus—Sed adversarii, etsi nunc moderentur laudes de perfectiōne, tamen aliter RE IPSA sentiunt. Vendunt enim merita & applicant pro aliis hoc prætextu, quod observent præcepta & consilia, quare re ipsa sentiunt sibi superesse merita. Eadem jam ante, de Iustificat. Responsione ad argumenta adversariorum, objecerat Apologia. Adversarij nostri non hoc solum tribuunt operibus, quod sint digna gratiâ & vitâ æternâ, sed fingunt etiam, quod merita super sint sibi, quæ donare aliis, & justificare alios queant, ut cum Monachi suorum ordinum merita vendunt aliis. Hac portentosa Chysippéo more coacervant, audita unice voce mercedis. Merces appellatur, igitur habemus Opera, quæ sunt pretium pro quo debetur mer-

De Ver.  
Monach.

fol. 135, 136,  
edit. in 8vo,  
anni, 1618,

C 3

665. &



ces. — Et cum alius alio plura habeat merita, igitur quibusdam supersunt merita. Et hæc merita donare aliis possunt isti qui merentur. Mane lector, nondum habes totum Soritem. Addenda sunt enim certa Sacramenta hujus donationis. Mortuis induitur cucullus etc. Cujus detestandæ vanitatis exempla eruditè comportavit Reverendus & Clarissimus Vir, Dominus M. Rupertus Othonis, Disputatione Primâ contra Truchessium §. XLI. Adducimus autem ista omnia, ad obruendam Bellarmini impudentiam, dum monachos, & voce & RE IPSA perfectionem sibi arrogasse ostendunt, quod ullum ipsorum unquam fecisse, ipse audacissimè negat.

Superest adhuc, ad quod itidem Bellarmino respondere par erit. Quod hîc perfectior status (ecce, rursus simpliciter vocat perfectiorem statum, non, instrumentum perfectionis) non imperetur ait ille, sed consulatur, satis apertè colligitur ex verbis Domini Matth. 19, ubi postquam dixerat: si vis ad vitam ingredi, serva mandata, subjunxit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes etc. Nec usquam legimus, si vis perfectus esse, vade, uxorem ducito, capesse rempublicam etc. At verò, verba illa Matthæi, si vis perfectus esse etc. consilium tantùm continere non præceptum, vanissima principij petitio est. Legatur de illis Evangelistæ verbis Apologia Confessionis nostræ articulo de votis Monachorum, & cum primis Wolfgangus Frantzius, Disputat. in Augustan. Conf. ad eundem articulum, §, 84, seq: ubi eruditè Bellarmino satisfacit. Vbi legit autem apud quenquam nostrum calumniator Bellarminus, tanquam doceamus, perfectionem Christianam attingi non posse, nisi uxorem ducas, aut capessas Rempublicam? Attingi posse Christianam perfectionem etiam ab uxoratis, & iis qui Rempublicam tractant, hoc est quod docemus, quod monachorum jactantiæ opponimus; hoc est quod Paulus docet. i. Timoth.

Timoth. 11, ult. *mulier salvabitur liberos gignendo, si manserit in fide etc.* quod Deus ipse docet, Abrahamum suum, & Polygamum, & opulentissimum, compellans Genes. XII. *ambula coram me, & esto perfectus.*

23

Hoc denique est quod Confessio nostra docet, quando Articulus XVI, *damnat eos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in deserendis civilibus officiis; so leren/das Christliche Volkommenheit sey/Weib vnd Kind leiblich verlassen/vnd sich der vorherürten Stück eüßern etc.* ut habet editio vernacula. Et hanc doctrinam Confutatio sic dicta Caroli Cæsaris, quando totum illum articulum XVI, dilaudavit tanquam *consentaneum non solum juri civili, sed etiam juri Canonico, Evangelio, sacris literis, & universæ normæ fidei, simul ceu Evangelio conformem* comprobavit.

Addimus ὡς ἐν παρόδῳ verba Rodolphi Hospiniani De Origine Monach. Libro VI, Cap. XVII, fol: 338. lat. b. *Cum verbo Dei monastica vita destituatur, impium est monachorum ordinibus perfectionem aliquam arrogare, præsertim cum in communi vitâ hominum, plures occasiones offerantur fidelibus edendæ confessionis, propagandæ doctrinæ verbi Dei, exercendæ fidei, invocationis Dei, patientiæ, dilectionis, quam in monachorum lustris, plenis superstiitionibus & impietate.* Brevius in eundem sensum B. Lutherus Catech. Maj. in fine explicat. V. præcepti dicit; *monachos vitam planè suavem, omni cruce vacantem & patientiâ agere.* Et tamen audent cum illis apud Esaiam Cap. LXV, 5, hypocritis, aliis Christianis ipsi dicere; *ne appropinques mihi, quia sanctior te sum!* Caveant, ne ipsis contingat quod ibi sequitur: *isti fumus in furore meo, ignis ardens totâ die.*

#### MENDACIVM VII.

Artic. xx. Confessionis; *Falsò accusantur nostri, quod bona*

24. *bona Opera prohibeant.* Mendacium hoc esse non dubitabit, (si Bellarmino credimus) quicumque ALIQUID scriptorum Lutheri perlegerit.

fol. 610.

fol. 688. e.  
dit. Lipf. in  
8vo anni  
1618.

Resp. rursus, Bellarminum mendacium hic planè Satanicum in nos evomere, neminem negaturum, quicumque saltem ALIQUID scriptorum Lutheri perlegerit. *Glossa D. Martini Lutheri/auf das vermeinte Kayserl. Edict. apud Chytræum, Histor. Aug. Conf. Was sie (die Papisten) hie sagen von guten Wercken nicht zu verwerffen/ das Reden sie abermal mit bösen Worten bösslich/ vns damit zu verunglimpffen/ als verwüffen wier gute Wercke/ so sie es doch wol anders wissen/ das wier mehr auf gute Wercke treiben/ den das ganze Papstumb gethan hat/ welches auch sonst nie kein gut Werk verstanden hat/ wie das sonst genugsam beweiset ist/ noch können sie ihr Giftige Lügen vnd lesteren nicht lassen.* *Commentario præclaro illo & copioso super Epistolam ad Galat. citato Form. Concord. de Iustitiâ fidei coràm Deo, Concedimus de caritate & bonis operibus etiam docendum esse, sed suo tempore & loco, quando scilicet questio est de bonis operibus extra hunc articulum de justificatione. Hic autem status causse, & caput est, de quo agitur, ut scilicet queratur, non, an bona opera sint faciendâ, & caritas exercenda sit, sed quâ re iustificemur, & vitam eternam consequamur? Hic respondemus cum Paulo, solâ fide in Christum nos pronuciari justos, non operibus legis aut caritate. NON quod OPERA aut caritatem REJICIAMVS ut adversarij (Bellarminus & similes impostores) nos falso accusant, sed quod à statu causse in alienum negotium, quod ad hanc questionem prorsus non pertinet, abstrahi nos, & implicari nolumus, id quod tamen Satanas maximo perè molitur & querit. Itaq, cum jam versemur in loco communi & articulo de justificatione, rejicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur aut admittit disputationem de bonis operibus*

operibus Haftenus Lutherus. Addi cum primis meretur 25.  
Libri de Conciliis Tom. vii. Ien. Germ. titulo von dem  
vierdten Haupte Concilio zu Chalcedon/ paragraphus infi-  
gnis, weiter der Luther etc.

Bellarminus tamen calumniam suam gemino colo-  
re tingere conatur. I. affert dicta quaedam Lutheri, quæ  
ex integro contextu avulsa, prima fronte videntur opera  
prorsus rejicere, in suis tamen sedibus quæsitæ, & candidè  
inspecta, hoc saltem volunt, *cavenda esse opera non simplici-  
ter, ut negligantur, sed certo respectu, ne justificationis meritum  
illis tribuatur*, quemadmodum loquitur doctissimus Ger-  
hardus Tom. iv. Loc. Com. de B. O. Cap. viii. §. 37. in fine,  
qui & illic, & §. præcedentibus has ipsas Bellarmini *ϕλυ-  
æias* gravissimè profligat. Verba ejus nonnulla, è §. 32.  
decerpta ( quæ tamen ipsa, à Chemnitio sibi accepta non  
dissimulat ) hic apponere, operæ fuerit pretium. *Coacer-  
vatione illâ sententiarum Lutheri, multi ex lectoribus perturban-  
tur, id quod lectori minus exercitato, in grandi illo dicendi gene-  
re, quo Lutherus utitur, facile contingere potest, quando non ob-  
servatur regula Hilarij, ut ex causis dicendi dictorum intelligen-  
tia sumatur.* Afferatur itaque ad inspectionem dictorum  
Lutheri oculus non malignus, & nullus amplius calumni-  
is locus supererit. II. dicit Bellarminus, *Catholicos* (Papi-  
stas) *non tam accusare Lutheranos, quod prohibeant opera bona*  
( quare itaque mendacium de plano vocabat veterator,  
quando Confessio dixerat: falso accusari nostros, quod  
bona opera prohibeant? ) *quam quod ea contemnant.* Quo-  
modo vero *contemnant?* annon hoc est mendacium men-  
daciij regulam facere, ne perpluat scilicet? Audi subtilita-  
tem: *quia cum Eunomio, antiquo heresiarchâ, imò etiam cum Si-  
mone Mago hereticorum omnium principe, non necessaria ad salu-  
tem esse doceant.* Ad hoc antequam respondeamus, videre  
D juvat

juvat, quomodo ipse & complices, quādo contendunt bona opera esse necessaria ad salutem, intellectum illud velint? Aperit Cardinalis mentem hāc de re Libro IV, de Justificat. Cap. VII, §, *Nos contra &c. dicimus opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem, non solum ratione praesentia, sed etiam ratione EFFICIENTIÆ, quoniam EFFICIUNT salutem, & sine ipsis sola fides non efficit salutem.* Hanc verò doctrinam pronunciamus nos, jam dudum ab ipso Paulo magnā contentione prædamnatam esse Rom. III, 28, IV, 5. IX; 31, 32, X, 3, XI, 6. quod prolixius deducere alterius est loci. Hic sufficit dicere, consequentiam hanc Bellarmini; Lutherani negant bona opera esse necessaria ad salutem efficiendam, Ergo contemnunt bona opera; hanc inquam consequentiam prorsus esse geminam huic elumbi; Bellarminus negat calcaneum in homine esse necessarium ad efficiendam visionem, ergo Bellarminus contemnit calcaneum esse in homine.

Verum sanè est, majores nostros tolerare noluisse phrasin, quod bona opera sint necessaria ad salutem. Causam non ignoravit ipse Bellarminus. Sic enim scribit Libro IV de justificat. Cap. I, §. I. *Illyriciani sive Saxonici (Ducales, in Colloquio Aldenburghensi) non negant opera esse necessaria necessitate praesentia, sed tamen PROPTER SCANDALUM ET PERICULUM contendunt istam propositionem, bona opera sunt necessaria ad salutem, non esse in ecclesiā tolerandam.* Jam appello conscientiam cujusvis cordatoris Pontificij, an Bellarminus ullo jure ex eo, quod propter scandalum & periculū majores nostri dicere noluerint bona opera esse necessaria ad salutē, interea tamē cum Apostolo semper & ad ravim usque, *sine sanctimoniā neminem visurum Deum; studendum bonis operibus, illis qui crediderunt Deo;* Hebr. XII, 14. Tit. III, 8. & similia multo plurima, in cul-

inculcaverint auditoribus suis, jure ullo coargui possint aut debeant, tanquam *contemnant bona opera*? Non spero aliquem ita obtusi pectoris futurum, qui id affirmare ausit.

In gratiam autem Dn: studiosorum nostrorum, & ut illi iudicium de invisâ illâ phrasi formare possint, adscribam hic verba Dn: D. Johannis Hülsemanni, quem de locutione, quod B. O. sint necessaria ad salutem, contra Beatos Præceptores nostros D. D. Calixtum & Hornejum acerbè depugnasse constat. Brev. ext. Cap. XII, supplem. §. XVII, edit. novissimæ 1655 fol. 196: *Phrasis hæc; Bona opera sunt necessaria ad salutem. post multam disceptationem, à præcipuis Doctõribus partis cum Lutherana, tum Calviniana, id est, à Philippo Melanchione & Martino Bucero in Comitibus Verma-tiensibus, post constitutam jam pacem Religionis, ad conciliandas residuas cum Pontificiis controversias coactis, saltem pro AMBIGUA judicata est; Qualis appellari non posset, si APERTE falsa (in edit. anni 1648, est, si OMNINO falsa) esset, & nullam omninò commodam interpretationem admitteret. Additur edit. cit. novissimâ: Et Liber Concordiæ, postquam pag. 707. excusasset aliquos, quod hac phrasi usi erant, comparatè desinit: Tutissimum esse abstinere ab hac phrasi.*

Nihilominus quomodo phrasi illa ambigua sepositâ aut repudiatâ, non *contemnamus bona opera*, quod criminis Cardinalis affricare nobis satagebat, rursus edisserat citatus D. Hülsemannus: *Necessitas presentie & existentie bonorum operum in omnibus salvandis, aliis & multò commodioribus verbis describi potest, & a spiritu sancto describi suevit quam his; Necessaria sunt ad salutem consequendam. Nempe quod necessitate præcepti divini, & naturali sive intrinsecâ necessitate nexus effectivi cum causâ effectivâ i. e. fide, bona opera sint necessaria omni justificato: non, ut opera consequantur, neque ut justificatus consequatur per opera vitam æternam (quod*

Brev. Cap.  
XII, Sup-  
plem. §. IX,  
fol. 184.  
edit. nov.

nec Calixtus etiam, nec Horneus unquam docuerunt;) sed quia sic constitutum est à Deo, ut subjectum consecuturum per fidem vitam eternam, tale sit quod bene operetur: ut Ebr. XII, 14, sine sanctorum nemo videbit Deum, Matth. VII, 15, Quaecunque arbor non fert fructum bonum, excindetur I Tim. III, 15 mulier salvabitur generando filios, si manserit in fide, dilectione & sanctificatione; aliisque dictis similibus, necessitatem PRÆSENTIÆ bonorum operum inculcantibus. Hæc ita iterum ille, Hülsemannianis hisce addere juvat sequentia Gerhardina, Bellarm. Orthod. Teste Disput. XXIX, Controvers. x, §, 33, 34: Argumentatus erat Bellarminus, ex Hebr. x, 36, patientia vobis necessaria, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Ergo patientia, quæ est actus virtutis à fide distinctæ, necessaria est non solum ratione presentia, sed etiam ratione efficientia. Respondet Gerhardus: recurrit idem verum. Patientia est necessaria, Ergo ad salutem efficiendam est necessaria. Atqui Bellarminus ipse agnoscit, Libr. & Cap. iisdem §. 2, aliam esse necessitatem ratione presentia, aliam ratione efficientia. Ergo ab unâ specie non statim potest procedi ad alteram. Pro necessitate ad salutem, substituit Bellarminus relationem ad salutem. At hæc non sunt ἰσοδυναμῶν, cum in necessitate ratione presentia, etiam sit quedam relatio ad salutem, sicut Bernhardus dicit Libr. de Grat. & Libr. Arbitr. Bona opera sunt via regni, non causa regnandi. Ista ibi ὁ πατέρις Gerhardus. Colligamus iam in summam ea, quæ verba Duumvirorum horum nobis offerunt. Primum est, non omnino, non apertè falsam, ambiguam saltem esse Propositionem illam; bona opera sunt necessaria ad salutem (2) necessitatem presentia bonorum operum concedi in omnibus salvandis, imò studium novæ obædientia pertinere ad terminum penitentia seu conversionis ad quem, --- nec separari ab eâ posse, nec in agonizantibus quidem, quoad obædientiam internam seu obædientiæ

*diendi propositum*, Hülsem. Brev. ext. Cap. ix, §. 5. (3.) in necessitate præsentia bonorum operum, etiam esse quandam relationem ad salutem (4.) posse necessitatem præsentia bonorum operum in salvandis, alijs & multo commodioribus verbis describi, & à spiritu sancto fuisse describi, quam his: Bona opera sunt necessaria ad salutem.

Sunt vera, sunt moderata. Sunt ex asse Calixtino-Hornejana. Nos ea omnia & singula, toto pectore lubentes amplectimur. *Constitutâ autem de rebus ipsis verâ sententiâ, de modis loquendi facilis posset iniri ratio* Chemnit. Exam. Concil. Trid. de Liber. Arbitr. sub finem.

#### MENDACIUM VIII.

Artic. eod. *Iubent* Catholici Doctores (Papistæ) *mereri remissionem peccatorum operibus.*

Resp. statim, verba hæc in toto articulo xx. tam Latinæ, quam vernaculæ editionis, non comparere. Unde nec necessum erat, verbum Bellarmino ad illa reponere. Ex abundanti nihilominus breviter videbimus, quid solidi in illo satis prolixo, quem hîc affert discursu ipse crepet.

Distinguit initio, & dicit, *si de meritis operum illorum quæ fiunt solis naturæ viribus sermo sit, --insigne esse mendacium Philippi.* Non enim id habet, inquit, Catholica doctrina, ut operibus illis quæ fiunt sine fide, & auxilio Dei gratuito, mereri possint homines remissionem peccatorum. — Si verò de illis operibus agatur, quæ ex fide & gratiâ Dei proficiunt, fateri tuos, illis operibus se aliquo modo mereri remissionem peccatorum. Sed (ait) idem fatentur Prophetæ, Evangelistæ, Patres. Ezech. 18. Cum averterit se impius ab impietate suâ, ipse animam suam vivificabit. Dan. 4. peccata tua eleemosynis redime. Ion. 3. Vidit Deus opera eorum & misertus est eis, Luc. 3. Data eleemosynâ, & ecce omnia munda sunt vobis. Luc. 7. remittuntur ei peccata multa, quia



dilexit multum. His subjungit loca quædam Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gregorij, qui *lachrimas veniam mereri, culpam diluere, ipsam remissionem peccatorum non esse sine merito, si fides eam impetret, pœnitentiam misericordiam mereri* subinde dicant. Postillâ dicit, se istis etiam operibus, quæ fiunt ex fide & auxilio Dei, non tale tribuere meritum, ut ei respondeat ex justitiâ merces, sed *meritum solùm impetrationis* ut Augustinus loquatur, quod scholastici meritum *de congruo*, non de condigno vocare soleant. Neque in hoc ullam esse inter Catholicos dissensionem. Tandem ait, paradoxon videri Adversarijs quod homo operetur ex fide & nondum sit justificatus, cum apud ipsos separari nequeat fides à justificatione. At, subdit, non illis paradoxum hoc videtur qui ex fide orantes dicunt Matth. 6, dimitte nobis debita nostra. Nec illi paradoxum hoc videbatur, qui ex fide orabat, Deus esto mihi peccatori propitius Luc. 18. Nec denique Augustino paradoxum hoc erat, cum scriberet in Epist. 105. Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.

Resp. (1.) etsi communis Papistarum doctrina non esset, operibus quæ solis naturæ viribus fiant, posse aliquem mereri remissionem peccatorum, non ignorat tamen Bellarminus, è scholasticis quosdam fuisse, qui docuerint, *hominem ex puris naturalibus posse diligere Deum super omnia*, quod ipse fateri cogitur Libro v. de Grat. Cap. xii, §. tertius error: Ex eoque ipse postea Libr. seq. vi, Cap. vii. sub finem infert, *si posset homo suis viribus diligere Deum super omnia, posse sine ullâ Dei gratiâ præveniente perungere ad remissionem peccatorum*. Ipse itaque Bellarminus mentitur, si negat promiscuè, Catholicos (Papisticos) Doctores docuisse, quod homo operibus, solis naturæ viribus factis, possit mereri remissionem peccatorum.

(2.) Per

(2.) Per opera quæ ex fide & auxilio gratiæ Dei facta sunt, appareat eum intelligere ea, quæ fidem, sumptam pro assensu verbo Dei præbito, ceu primam ac remotissimam ad infusionem gratiæ justificantis quam illi vocant, dispositionem, proximiores postea sequuntur, quales sunt actus timoris, spei, caritatis; & de ijs dicit, aliquo modo, nempe de congruo (ut inferius explicat) remissionem peccatorum mereri. Utque videas, quid Bellarminus de merito illo congrui sentiat, ipse Libr. 1, de justif. Cap. xxi, §. porro negamus, ita mentem suam exponit: *Negamus nullam esse in merito de congruo dignitatem --- est meritum inchoatum & imperfectum, & habet aliquam dignitatem & proportionem ad suum finem, sed non tantam, quantam requirit meritum de condigno & c.*

Nos sicuti agnitionem peccatorum, timorem iudicij Dei, spem misericordiæ, justificationem seu remissionem peccatorum præcedere permittimus, ita omnem illis actibus rationem merendi detrahimus, scientes *gratis, Dei gratiâ hominem justificari*, Rom. 111, 24. & *si ex gratiâ, non ex operibus, cum aliâs gratia non esset gratia* Cap. xi. 6. Nec movent nos dicta scripturæ quæ ad suos sensu detorquet Bellarminus. Apud Ezechielem *avertere se ab impietate*, fidem includit, cujus intuitu anima vivificatur. Dan. 4, non legitur in fonte peccata tua *redime* elemosynis, sed, *abrumpe*. Inchoato opere bono, veteris impietatis & tyrannidis telam abrumpe. Ionæ 3, describitur qualitas subjecti cujus Deus miseretur, non adæquatum statim principium per quod misericordia impetratur. Contritorum Deus miseretur, sed non propter contritionem. Ita ligna sicciora comburuntur, sed non propter siccitatem. Qualitas subjecti comburendi est siccitas, sed non id, propter quod comburitur, alias omne siccum, adeoque & filices comburerentur. Locus Luc. 11, obscurus est & hoc ipso ad validam pro-

probationem non idoneus, cujus ipse Bellarminus Libr. I II. de Bon. Operibus in particulari, Cap. III, quatuor diversas Patrum expositiones adducit, quarum ultimam ibi approbat. Verba quædam ejus hic damus. *Sic dicit Dominus Phariseis, date eleemosynas & omnia munda sunt vobis, quoniam enim radix omnium malorum, præcipue in Phariseis, avaritia esset, si ea per virtutem contrariam evulsa fuisset, facile illi ad fidem & pœnitentiam, ac per hoc ad plenam animæ salutem pervenissent.* Iuxta Bellarminum itaque, hoc largiri eleemosynas, in Phariseis præcessisset fidem; ipse vero eo loco probare vult opera facta ex fide, mereri de congruo remissionem peccatorum. Frustra itaque hoc quidem fine eum adduxerit. Luc. 7. Servatorem non causam sed, signum remissionis peccatorum dilectionem facere, notius est, quàm quod dici debeat. *Ex Patrum laxioribus dictis non sunt extruendi articuli fidei* artic. Smalcald. part. II, de Missa; commodius illa sunt interpretanda, docente ita ipso Bellarmino Libr. IV, de Pœnit. Cap. I, §, jam igitur. Ex fide, sumtâ pro assensu, verbo Dei in genere præbito, operari quenquam posse, nec dum justificatum esse, nobis non est paradoxon. At illa fides nondum est justificans, hoc est justificationem inferens. Quod si quis fide justificante præditus, nihilominus deinceps oret, *Deus esto mihi peccatori propitijs*, orat ut id beneficii continuet, aut porrò ratum habeat Deus, quod jam ante ei exhibuit, orat pro remissione peccatorum quotidianæ incurfationis. Augustinus fidem quâ justificationem consequimur, meritum vocans, laxè eâ voce usus est, pro eo, cujus interventu aliquid, quantumvis gratis, consequimur. Hoc ipsi condonari potest.

#### MENDACIUM IX.

*Et quidem multiplex.*

In eod. Artic. xx; (verba sunt Bellarmini) *multa simul*

*con-*

conglomerantur mendacia. Quod nostri (Papistici) olim con-  
cionatores, parum docuerint de operibus quæ Deo placent, quod  
tantum urserint puerilia & non necessaria opera, quod nunc à Lu-  
theranis moniti hæc dediscant, quod jam incipiant fidei mentio-  
nem facere, quod doctrina fidei dudum jacuerit ignota. Pergit  
Bellarminus: Scilicet non legerat Philippus sermones S.  
Bernardi, Petri Damiani, Innocentij tertij, Thomæ Aquina-  
natis, Vincentij Bernardini, Laurentij Justiniani, & alio-  
rum innumerabilium, in quibus de Symbolo, de Deca-  
logo, de Oratione Dominicâ, de omnibus vitijs, omnibus-  
que virtutibus gravissimæ disputationes continentur. Sed  
facile est dicere & non probare.

Resp. Confessionem non dicere, quod Papistæ pror-  
sus nihil de veræ, hoc est à Deo mandatæ pietatis operi-  
bus docuerint, sed comparatè loqui, quod *parum*, in com-  
paratione ad electitia sua opera, de illis quæ scriptura  
comendat, docuerint, *tantum* (editio vernacula habet *al-*  
*fermissi*) urserint puerilia & non necessaria sua opera (2.)  
loquuntur Confessores de eo, quid suo tempore Papistici  
ambonitribæoretens populum docuerint, cujus ipsi te-  
stes fide dignissimi esse potuerunt, non autem quid è ve-  
tustioribus Postillatoribus nonnulli scripserint. Cer-  
tè Erasmus Confessorum coætaneus, qui noster profectò  
non fuit, non dubitavit tamen Epistolâ ad Cardinalem &  
Electorem Moguntinum de *tyrannide fratrum mendicanti-*  
*um* scribere; *perfrictâ fronte jam cæperant omisso Christo nihil*  
*predicare nisi sua nova, & subinde impudentiora dogmata. De*  
*indulgentiis sic loquebantur, ut ne idiotæ quidem ferre possent. Et*  
*aliâ ad Georgium Saxonie Ducem epistolâ; mundus indor-*  
*miebat opinionibus scholasticis, constitutionibus humanis, nec aliud*  
*audiebat quam de indulgentiis, de compositionibus, de potestate*  
*Pontificis Romani.* Hæc juxta propriam experientiam Eras-

l. 11. epist.  
pag. 401.

l. 19. pag.  
685.

E

mus.

mus. Quanquam, si Innocentij, Bernardini, Laurentij Justiniani, & similium ad quos Bellarm. provocat homilias quis attentius evolvere velit, res ipsa docebit, plures ne ad observanda Decalogi præcepta exhortationes ex complectantur, quàm de miraculis monachorum, apparitionibus animarum, statu purgatorij, profundendis in ociosos monachorum ordines elemosynis sermones cœdant.

#### MENDACIVM X.

Artic. XXI. Conf. hæc habentur: *Hac ferè summa est doctrina apud nos, in quâ cerni potest nihil inesse, quod discrepet à scripturis, vel ab ecclesiâ catholicâ, vel ab ecclesiâ Romanâ, quatenus ex scriptoribus nota est.* Ad hoc mendacium convincendum, (Bellarm. verba sunt) non erit opus, ut extrâ articulum istum vigesimum primum egrediamur. Hic enim asserunt *non esse à sanctis auxilium petendum*, eò quod unus sit intercessor Christus. In quo (pergit Cardinalis) manifestè dissentiunt à scripturis, ab ecclesiâ Catholicâ, & ab ecclesiâ Romanâ. Et statim distinguit inter mediatorem redemptionis, & intercessionis. Priori modo sumptum, unum Christum mediatorem esse ait; unum autem tantùm mediatorem ratione supplicationis esse, non modo scripturam non dicere, sed etiam ita dicentibus apertè contradicere. Quam in rem citat dicta quædam scripturæ, perperam intellecta, quædam nihil ad rem facientia; quæ scilicet memorent quomodo vivi vivos ut pro se intercederent, compellaverint; dicta item Patrum quorundam, & exempla nonnulla veteris è quarto seculo ecclesiæ, tum concludit; Viderint ergò, qui negant sanctos esse orandos, an ab ecclesiâ Catholicâ non dissentiant. Jam ab ecclesiâ Romanâ in specie, etiam quatenus ex scriptoribus nota est, pariter nos dissentire, ex

Leone

Leone & Prudentio dicit esse notissimum, quorum loca 35  
affert, addito sub finem horribili epiphonemate. Quale,,  
verò & quàm impudens mendacium est hujus Confessionis! nem-  
pe id, cuius eam accusaverat. — Neque verò hoc unum est,  
in quo discrepat Augustana Confessio à Confessione catholice &  
Romana ecclesie. Nam nec de ipsâ ecclesiâ, nec de peccato Ori-  
ginis, nec de justificatione, nec de sacramento eucharistie, nec de  
aliis sacramentis consensus est, sed unum sufficebat ad mendaci-  
um detegendum.

Resp. ut rectè intelligatur quid sibi voluerint Con-  
fessores nostri, quando in Confessione posuerunt *scriptu-  
ram non docere sanctos esse invocandos* (quæ verba omittit  
Bellarminus) seu petere auxilium à sanctis, afferimus huc di-  
scursum τὸ τῶν θεολόγων τῶν ἐρεθιστῶν Φωσφόρος Johannis Ger-  
hardi Loc. Com. de Morte §. 377: *Non est questio de nudâ* fol. 63r. edit  
len. in 4to.  
*sanctorum compellatione, quâ sancti moneantur & invitentur, ut  
pro ecclesiâ in terris adhuc militante, orent, quomodo à piis in  
his terris viventibus, vel coram vel per literas petimus, ut pro  
nobis apud Deum intercedant, suas preces nostris jungant, iis-  
demque salutem nostram fideliter commendent, quam vivorum  
compellationem quidam in significatione perquam latâ, impropriâ  
& scripturis inusitatâ, invocationem appellant. Dico latâ &  
impropriâ, quia invocare Deum, propriè est religioso cordis affe-  
ctu eum sibi in auxilium, imò in cor suum vocare, ut pij veteres  
testantur, Hieron. vel potius Beda in Proverb. libr. 1, cap. 2. Au-  
gust. libr. 1, Conf. Cap. 2. id quod de sanctis dici nequit. Dico  
scripturis inusitata, quia verbum invocandi nusquam pro viven-  
tium compellatione accipitur, nisi forte quis huc referat locum  
Esai. 34, vers. 12. Regem potius invocabunt, ubi tamen in malam  
partem accipitur.) Quamvis enim nec hanc sanctorum defun-  
ctorum compellationem, simpliciter probemus, cum illi non ampli-  
us ut sancti in terris adhuc viventes, rebus nostris intersint, nec*

de tali compellatione defunctorum sanctorum præceptum vel promissum vel probatum exemplum exstet, cumque periculum subsit, ne ex tali compellatione absentium, ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus, tamen **EX PRAXI ET CONFessione PONTIFICIORVM** constat, eos non esse tali sanctorum compellatione contentos, sed religiosè & suppliciter eosdem invocare, cultum adorationis ipsis tribuere, ad eorum non tantum intercessionem, sed etiam merita, opem & auxilium confugere, in ipsos spem & fiduciam cordis sui collocare, ipsis vovere, per ipsos jurare, beneficiorum corporalium & spiritualium datores constituere, altaribus, Missis, feriis, peregrinationibus &c. colere ut ex antitheseos Pontificia descriptione inferius patebit.

Ex his apparebit attento Lectori (1.) Bellarminum litus arare, quando profert exempla ex scripturis, in quibus vivi vivos, ut pro se ad Deum orarent, compellasse leguntur (2.) Nos ne quidem compellationem sanctorum defunctorum ad hoc, ut pro nobis intercedant, ex causis statim simul allatis, admodum probare (3.) controversiam tamen peculiatiter de eâ invocatione, quam Pontificij & libris publicè, etiam cum approbatione superiorum editis, & in quotidiana suorum hominum praxi oculis nostris objiciant, inter nos ipsosque agitari. *Quando de invocatione sanctorum disputatur, non est questio, an sancti sint honorandi?-- Sed de invocatione sanctorum QVALIS in ecclesia Pontificia usitata est, controversia est,* ait Chemnitius Exam. Concil. Trid. titulo. *De Veneratione sanctorum,* in fine.

Tantum verò abest, foedissimam illam doctrinam, & abominandam ac prorsus idololatricam praxin Pontificiam, qualem Gerhardus ex re & vero paulò ante indicabat, primis vetustæ ecclesiæ seculis auditam & receptam fuisse, ut nostri Doctores nihil dubitent validi argumenti  
loco

loco Pontificijs hoc inter alia opponere, cum vera & Deo grata invocatio, unanimi primitiva, temporibus Apostolicis vicine ecclesie consensu ac suffragio gaudeat, sanctorum autem invocatio illa Papistica consensu illo destituatur, non posse esse veram & Deo gratam invocationem; sicut rursus argumentatur Gerhardus, Loc. Com. de Morte §. 425, initio. Cujus verba, quibus citatam periodum finit, audire porrò plane operæ hic fuerit pretium. *Primitiva ecclesie, Apostolis vicine, hunc cultum ignotum fuisse, Pontificij partim expresse, partim tacite fatentur. Jacobus Faber Stapulensis Prefat. in Evangelia: Utinam credendi forma à primitivâ peteretur ecclesiâ, quæ tot martyres Christo consecravit, quæ nullum scopum præter Christum habuit, nulli cultum præterquam uni trinoque Deo impendit. Censura Colonienfis pag. 209, fatetur, cultum hunc in ecclesiâ non esse antiquiorem annis mille ducentis, quo ipso agnoscit, tres annorum Centurias à nato Christo effluxisse, antequam cultus sanctorum in ecclesiâ innotesceret. Lindanus in tabb. analyticis in primâ acie collocat Cyprianum, qui tertio post Christum natum seculo vixit. Durandus ration. divinor. officiorum Cap. 38. fatetur, quod ecclesia post tempus B. Sylvestri sanctorum Confessorum memoriam venerari cepit. Vixit autem Sylvester tertio post Christum natum seculo. Adcò scilicet exploratum fuit magno illi nostro Chemnitio, Exam. Concil. Trid. part. III. de Invocat. sanctor. titulo: Historia de Origine Invocat. sanctorum fol. 321. edit. Frate. cof. in 8vo maj. ecclesiam primis, optimis & sincerissimis temporibus, per annos ducentos invocationem sanctorum ignoravisse. Sed pertexat sermonem suum doctissimus Gerhardus. Bellarminus de sanctor. beatitud. Cap. 19, Cyprianum prætermittit, agnoscens in genuinis ejus scriptis nullum hujus dogmatis exstare vestigium. Adducti quidem dicta antiquiorum, ut Dionysij Areopagite, Irenæi & deinceps Athanasij*



38 *nasij, sed ea partim ex Ψευδομυεσθῶσι scriptis petita, partim in peregrinum sensum esse detorta, suo loco ostendemus. Idque postmodum hoc ipso Tomo VIII, p. 458, diligenter & iustâ prolixitate facit, profligatâ illa acie, quam Bellarminus ex testimonio Græcorum & Latinorum Patrum è primis & purissimis seculis in speciem evocatorum Libro 1. de sanctor. Beatitud. Cap. XIX. ordine instruxerat. Lector locum ipsum Gerhardi, magnâ suâ cum utilitate introspiciet.*

Iam ad rem redeundo; Si prisca Catholica ecclesia non deprehenditur sanctos invocasse, modo quo Pontificij factitant, utique (1.) nec Romana aurei illius ævi ecclesia idem facere instituerit, & potuisset Bellarminus prolata Leonis & Prudentij testimonia domi continere. Sufficit enim nobis aliquo, & meliore quidem tempore Romanam ecclesiam cum nostra in eo convenisse, quod superstitiosâ illâ sanctorum invocatione caruerit (2.) Bellarminus hoc ipso exemplo *invocationis sanctorum* non tantum Confessionem, dicentem se nihil afferre *quod discreparet à Catholicâ ecclesia, vel etiam ab ipsâ Romanâ, quatenus ex scriptoribus est nota* nullius mendacij convicit, sed semet ipsum potius suosque complices, de perpetuo Patrum pro suis dogmatibus militante consensu nunquam non gloriantes, turpi mendacio obstrinxit, in manifesta insuper ficophantiâ à Gerhardo multoties ibi deprehensus (3.) Si Bellarminus existimavit, sufficere ad *detegendum* quod ille vocat *mendacium*, nempe quando Confessio dicit, in articulis suis *nihil esse quod discrepet à scripturis, vel ab ecclesiâ Catholicâ &c.* unum saltem aliquod exemplum in contrarium afferre: sufficet quoque nobis, si unum & alterum protulerimus exemplum, in quo Papistas à sensu priscae ecclesiae deviare manifestum sit, ad *detegendum*  
Catho-

Catholicum ipsorum mendacium, sese perpetuò & in omnibus consentire cum primitiva illâ ecclesiâ. 39

Definit Concilium Tridentinum Sess. VII. Can. I. *si quis dixerit, sacramenta nova legis — esse plura vel pauciora quam septem, anathema sit.* Definit eadem Synodus Sess. XXI, Cap. I, per verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem, in ultimâ cœnâ prolata, Dominum corpus & sanguinem suum sacerdotibus ut offerrent præcepisse, idque ita semper ecclesiam Catholicam intellexisse & docuisse.* Iam audiant de primo illo Gabriele Vasquez, inter Iesuitas celebre nomen. *Patrum testimonis hoc confirmare, quod VII. præcisè sint sacramenta, supervacaneum est, quia nullus eorum de numero speciatim quicquam definiuit.* Audiant de altero Guilielmo suo Estio, Academia Duacena Professore <sup>Disp. XII.</sup> *primarium & Cancellarium, in Quartum sententiarum* <sup>S. II.</sup> *commentantem. Quòd nonnulli Neoterici (ipsi cum primis Tridentini) vim faciendam putant in verbo FACITE, quasi idem sit quod sacrificare, eò quod facere pro sacrificare tum in prophantis autoribus, tum in sacris literis interdum positum reperitur, nobis parum solidum videtur, NEC APUD VETÈRES INTERPRETES HÆC EXPOSITIO UNQUAM REPERITVR, nec sanè proposito convenit &c.* Hæc ita tam ingenuè Estius, oblitus credo Bellarminiani effati, *vocem Concilij Tridentini ecclesie catholicae vocem esse* Lib. I. de Grat. & Liber. Arbitr. Cap. XIII, Col. 705, *cujus adeò decretis, catholici omnes ingenia sua atque judicia spontè subjiciant.* Lib. III. de Iustific. Cap. III. Col. 950. Sufficiant interim, duo hæc manifestissima exempla, revincendæ Papistarum jactantia, de primitivæ semper & utique pro suis dogmatibus militantis ecclesiæ consensu.

Accusationi quam in fine affluit Bellarminus, ac si Confessione, *nec de ecclesiâ, nec de Peccato Originis, nec de justificatione,*

40. *catione, nec de sacramento eucharistia &c. cum veteri catho-  
lica, aut etiam Romanâ veteri ecclesiâ conveniret, Apo-  
logia ubi de singulis illis doctrinis pertractat, satisfacere  
abunde poterit.*

## MENDACIUM XI.

Artic. Conf. eod. *Apud nos magnâ ex parte veteres ritus  
diligenter observantur falsa enim calumnia est, quod omnes cere-  
monia, omnia vetera instituta in ecclesiis nostris aboleantur.*  
Quale sit hoc mendacium, ait Bellarminus, nullo negotio  
intelligit, qui conferre voluerit cum præsentis statu eccle-  
siarum Protestantium ea, quæ de ritibus ecclesiæ scripta  
reliquerunt Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Augusti-  
nus, alijque scriptores. Et ilicò subjicit ingentem cumu-  
lum variorum rituum, interque illos *jejunium quadragesimæ,  
arctiorem abstinentiam in sacrâ hebdomada (quorum utrum-  
que Pontificij gulones egregiè observant!) memoriam defun-  
ctorum in precibus, varia monachorum instituta --- aquam mi-  
scendo vino in sacro calice -- delectum ciborum, votum virginita-  
tis, paupertatis, peregrinationes ad loca sanctorum.* Concludit,  
*hec & similia non modo à Lutheranis non servantur, sed irri-  
dentur, & tamen in Confessione dicere audent, veteres ritus à se  
diligenter servari, & falsam esse calumniam quod omnia veterum  
instituta, atque omne sferè ceremonias abolerint.*

Resp. Bellarminum oculorum suffusione laborasse,  
ut non viderit Confessionem non dicere simpliciter, ut il-  
le in fine accusationis suæ citat *Veteres ritus à se diligenter  
servari, sed cum adjunctâ modificatione affirmare, magna ex  
parte ritus ejusmodi apud suos servari, nec omnes ceremonias  
omnia vetera instituta abolita esse.* Quod quidem verum esse  
deprehendent omnes, qui ritus ecclesiarum nostrarum,  
Agendis quæ vocant ecclesiasticis contentos & propo-  
sitos,

tos, oculo non maligno, nec fugitivo voluerint intue-  
ri. Nec verbum hîc amplius addemus, nisi illud, quod  
Confessio eopse loco recte dixit; *nunquam similes omnium  
ecclesiarum ritus fuisse.*

41

## MENDACIUM XII.

Præfatione de abusibus mutatis : *Cum ecclesia apud  
nos de nullo fidei articulo dissentiant ab ecclesiâ catholicâ, tantùm  
paucos quosdam abusos omittant &c.* Subijcit Bellarminus quæ  
sequuntur : illud non est prætereundum, quod cum di-  
cunt, se ab ecclesiâ catholicâ non dissentire, nisi propter  
paucos eosque novos abusos ; si per ecclesiam Catholi-  
cam intelligunt eam, quæ nunc paret Romano Pontifici,  
fatentur se extra catholicam esse. Et sanè viderint ipsi,  
an propter paucos abusos ab ecclesiâ catholica separare  
licuerit. Si verò per catholicam intelligunt antiquam ec-  
clesiam, mentiuntur cum dicunt, hos abusos esse novos,  
fuerunt enim in antiquâ ecclesiâ, si illa est ea catholica, à  
quâ non dissentiunt, nisi ratione abusuum.

Resp. Bellarminum hîc illationes suas fictæ hypothesi  
superstruere. Supponit ipse, ac si Confessio dicat, *se ab ec-  
clesiâ catholica dissentire propter quosdam abusos.* At non ita  
est, nec id dicit Confessio. Verba ejus integra ita habent:  
*Cum ecclesie apud nos, de nullo fidei articulo dissentiant ab eccle-  
siâ Catholicâ, tantùm paucos quosdam abusos omittant, qui novi  
sunt, & contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti &c.*  
ubi non reperit Confessio nomen catholicæ ecclesiæ ad  
abusuum mentionem, nec dicit se *quosdam abusos catholicæ  
ecclesiæ omittere*, sed hos vocat *novos, & vitio temporum re-  
ceptos*, minimè vero catholicos. Fallit itaque Bellarmi-  
nus, quando eam mentem Confessioni tribuit, ac si ipsa  
abusus quosdam ecclesiæ Catholicæ ascriberet, in qui-  
bus

F

bus

bus ab illa ipsa se dissentire, simul fateretur. Neutrum horum in mentem venit Confessione. Quod si verò porò quis interroget, quem, aut quos demum, intelligat Confessio, cuius aut à quibus *invectos abusus se omittere* dicat? Respondebimus, hoc manifestum fore è verbis epilogi præcedentium XXI. articulorum. *Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in quâ cerni potest nihil inesse, quod discrepet à scripturis, vel ab ecclesiâ catholicâ, vel ab ecclesiâ Romana quatenus ex scriptoribus (Väter Schrifften / habet exemplar vernaculum) nota est, quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusus &c.* Dissensio itaque circa abusus, Confessione est ab ijs, qui ita *inclementer iudicabant*, ut proximè præcedebat, hoc est à recentioribus illis pertinacibus Papistis, non ab ecclesiâ catholicâ, quod Bellarminus pro lubitu fingeat.

Hoc verò jam monstrato, quod Confessio abusus non tribuat Catholicæ ecclesiæ, frustra sollicitus est Bellarminus, an *per ecclesiam Catholicam, eam quæ Romano Pontifici nunc pareat, intelligat Confessio?* Ab illius sanè ecclesiæ abusus se dissentire Confessio fatetur, sed Catholicam eam sicut sciebat non esse, ita nec pro tali agnovit. Ratione quoque istorum abusuum extra societatem Romanæ ecclesiæ se fore, haut illubentes procul dubio Confessores pronuntiaturi fuissent, ecclesiæ nihilominus Catholicæ genuinos se cives ac consortes permanuros, certò sibi persuasuri. Sed urget, ut audivimus, Bellarminus; (1.) *si per ecclesiam Catholicam intelligant Confessores antiquam aliquam ecclesiam, mentiri eos cum dicant, hos abusus esse novos, fuisse enim in antiquâ illâ ecclesiâ:* (2.) *videre ipsos jubet, an propter paucos quosdam abusus, ab ecclesiâ Catholicâ sese separare licuerit?*

Resp.

Resp. ad (1.) quàm expeditè Bellarminus potuit effu-  
 tire, mentiri Confessionem quando abusus, de quibus  
 conquesta est, vocavit novos, & quàm expeditè potuit af-  
 firmare quod recepti fuerint illi in antiquâ ecclesiâ, tam  
 nos promptè posse reponere, mentiri Bellarminum, quan-  
 do abusus illos non novos, sed in reteri ecclesiâ usitatos  
 fuisse contendit. Instituatur justum rerum examen, ju-  
 sta sententiarum collatio, & tum apparebit, Confessio an  
 Bellarminus dixerit mendacium. Certè inter abusus il-  
 los primo loco Confessio recitavit subtractionem Cali-  
 cis Eucharistici, & proximè ab eâ, rigidam illam conju-  
 gij Clericorum prohibitionem. Scripsit autem de Cali-  
 cis subtractione *ò papa Gregorius Calixtus noster, Tractatu hu-  
 jus argumenti §. xi; Certum est, totis mille annis, in solennibus  
 publicisque ecclesiæ catibus, & panem & calicem populo præbi-  
 tum semper fuisse, nec ullum potest afferri exemplum contrarium.  
 Si quod habent Pontificij in promptu, aut alicunde eruere possunt,  
 ne id nobis inuideant aut proferre parcant.* Tractatum eum  
 Erbermannus & Mülmannus, ambo Iesuitæ, ambo apo-  
 statæ & furiosè maledici scriptores, supremo conatu im-  
 pugnarunt, neuter ullum quale Calixtus poposcerat ex-  
 emplum, alicunde effodere potuit. Clericorum verò con-  
 jugium, viginisse adhuc seculis post Christum natum tri-  
 bus (imò & ultra) paulò post Nihusium, & ipsum virulen-  
 tissimum apostatam, Mendac. xiv. confitentem audiemus.  
 Non opusest in reliquis similem collationem jam institue-  
 re, ad Bellarminum redeo, & dico (2.) majores nostros nun-  
 quam ab ecclesiâ Catholicâ, imò nec à Romanâ, quam  
 multorum tamen defectuum ream peragerent, prorsus  
 sese separasse. Sic enim loquuntur laudato articulorum  
 epilogo: *si qua esset dissimilitudo (inter nos & Papistas, cir-  
 ca irreptitios abusus,) tamen decebat hæc lenitas episcopos, ut*

propter Confessionem quam modo recensuimus, tolerarent nostros. Et in fine Apologia: Isti rationem excitati schismatis reddent, qui manifestam veritatem initio condemnauerunt, & nunc summâ crudelitate persequuntur. Tolerari itaque desiderarunt majores nostri in communione Romanæ ecclesiæ, saltem publicos abusus illis licuisset corrigere, & schismatis causam in adversarios apertè contulerunt. In quibus etiam hætere culpam, res ipsa clamat, cum Leo x. urbis episcopus, Lutherum pendente lite, & interpositâ ab hoc (qui simul cognitioni causæ quàm humilimè se offerebat) legitimâ ad universale Concilium appellatione, contra juris ordinem vibratâ excommunicatione, à suâ communione unâ cum omnibus ei adstipulantibus projecit. Neque verò novi erat exempli, à Romano episcopo ad universale Concilium appellare, cum Pontificem non adeò diu, & verbis & factò universali Concilio subiecissent Basileense & Constantiense Concilia, & ob oculos tum versaretur recentior Sorbonæ Parisiensis, ab eodem rugiente Leone, ad universale Concilium, in causâ abolitæ sanctionis Pragmaticæ interposita appellatio, sicut hoc ex historiâ superioris seculi facilè potest esse notum.

#### MENDACIUM XIII.

Articulo de Conjugio sacerdotum: In Germaniâ inquit, primum ante annos 400. Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum. Hoc quoque Bellarminus mendacium vocat, & vel ante 800. annos, adductis aliquot in Germaniâ habitis Concilijs, Moguntino, Wormatiensi &c. & Zachariæ Pontificis testimonio, clericos ad cœlibatum adactos esse contendit.

Resp. Bellarminum ἀβλεψία quadam hic lapsum esse. Non enim dicitur à Confessoribus simpliciter, ante annos primum 400. prohibitionem conjugij clero Germanico imponi cœpisse, sed tum primum per vim, per supplicia

plicia inquam & tormenta ad coelibatum servandum sacerdotes compulsos esse. Quod historiarum monumenta palam eloquuntur. Sigebertus Gemblacensis anno 1074, memorat, Gregorium septimum aliàs Hildebrandum dictum, *novò ut ipse ait exemplo, & ut multis visum fuerit, inconsiderato praejudicio*, contra sanctorum Patrum sententiam uxoratos sacerdotes à divino officio removisse, & Laicis missam eorum audire interdixisse. *Sed tum fautores hujus Pontificis, ubi animadverterunt parochos nihil minus, nihil execrationibus moveri, aliquos praestantiores diverse partis captos interficiunt, alios hoc exemplo deterrere volentes, verba sunt Huldarici Mutij eandem rem versantis, Libr. xv. Historiæ Germanicæ pag. 132, ubi mox subjicit, nec tum Gregorium potuisse apud Germanos obtinere quod voluit. Supplicis, inquit porrò, affectis iis, quos ipsi bonos & Deum timentes viros, veritatemque defendentes judicabant, inceperunt omnem potestatem & auctoritatem sedis Romanæ contemnere, malè de eà loqui, & quicquid Romano Pontifici intelligebant placere, illis suspectum erat, conspirabantque multi cum eis, etiam sub aliis episcopatibus, donec tandem non solum Germania, sed etiam Gallia in eam contra Romanum Pontificem sententiam adducta sit, ut ubique impunè & facerent & dicerent, contra sedem apostolicam Romæ. De tali vi, qualem Mutius recenset, loquitur Confessio, ejusque autorem Hildebrandum illum facit. Quod Claudium Espenceum, scriptorem Pontificium, Libro i. de Sacrorum hominum continentia Cap. xii. disertius astruere affirmant, qui librum illum legerunt, nobis enim ejus videndi copia nunc fieri non potuit.*

#### MENDACIUM XIV.

Artic. eod. de Conjugio Sacerdotum, *Et res gesta est tam inciviliter, ut non solum in posterum conjugia probiberentur, sed etiam praesentia, contra omnia jura divina & humana, con-*



*tra ipsos etiam Canones, factos non solum à Pontificibus, sed etiam à laudatissimis Synodis, distraherentur.* Bellarminus etiam hoc inter illustria Confessionis mendacia numerari posse censet. Et prolixo admodum discursu (quem eundem ferè, Libro de Clericis Cap. xix. attulerat) ad hoc probandum utitur, è quo ea, quæ mendacio Confessioni impingendo facere queant, excerptenda hic nobis & refellenda erunt.

Scimus quod Bellarminus initio monet, duas hic esse quæstiones, I. an liceat post sacros ordines susceptos, uxorem ducere II. an liceat ei, qui duxit uxorem ante sacram ordinationem, simul & sacerdotio & conjugio operam dare? De prima quæstione, pergit Bellarminus, *Lutheranos omnes & verbis & factis respondere, licere.* Subjicit; *sed hoc ex sententiâ veterum Canonum, quos vel Concilia vel Pontifices eadiderunt, velle defendere, nimis aperta impudentia est.* Nam etiam Græca ecclesia, quæ tamen hæc in parte semper liberalis fuit (nempe conjugibus ante ordinationem ductis, sacerdotibus permisit uti) & damnat, & OMNI TEMPORE damnavit conjugia post ordinationem — nec ulla fuit UNQUAM hac de re in ecclesiâ catholicâ dissensio.

Resp. Hoc verò unum esse, quod inter illustria Bellarmini mendacia cum primis numerari mereatur. Exstat enim ipsi è diametro adversus Canon decimus Concilij Ancyranj, quod Cardinalis ipse Libro 1. de Clericis Cap. xix. ceu antiquissimum allegat. Canon ille ex versione Latina Dionysij exigui ita habet: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsâ ordinatione protestati sunt & dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneat, propterea quod eis episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, profesti continentiam, & postea nuptiis obligati sint, a ministerio cessare debebant.* Hic Diacono etiam ordinato

dinato permittitur uxorem ducere, modo cum ordinaretur, admonuerit, se non posse sic, id est, in coelibatu manere. Nondum itaque adimitur hic sacratis hominibus, ut Bellarminus vocat, conjugium, sed saltem tempus & modus ducendi præfigitur. Ubi nullius pili est Baronij exceptio, apud B. Calixtum Tract. de Conjug. Cleric. fol. 275, Canonem Ancyranum loqui *de illis, qui cum ordinarentur invitati, contestati essent non posse se continere.* Nulla vola, vestigium nullum *invitorum* comparet in verbis Canonis, quos si intellexissent Patres Ancyrani, utique illud expressissent. Quin imò Græca ecclesia, ducentis ferme annis post Trullanos Canones, contrariâ usa consuetudine, permittebat, ut sacerdotes & sacri Ministri, post sacros sumptos ordines possent intra biennium uxorem ducere, si sibi continentiam viderent nimis difficilem. Quam consuetudinem Leo Sextus imperator, lege datâ abrogavit, & priscum morem, priscamque ecclesie traditionem innovavit. Audi illum novella tertia; sunt verba Marc. Antonij de Dominis de Rep. Eccles. Libr. 11, Cap. x, §. 73. qui Leonis novellam ibi recitat, recitat quoque post eum B. Calixtus de Conj. Cleric. fol. 279. Pergit Bellarminus. Scribunt Socrates Libr. 1, Cap. VIII, & Sozomenus Libr. 11, cap. XXII, Paphnutium in Concilio Nicæno, dum sententiam suam de conjugio clericorum explicaret, inter alia dixisse, oportere juxta veteres Canones, ecclesiasticis prohibere, ut post sacram ordinationem uxores ducant -- & quanquam historiam Paphnutij non omninò probet, -- voluisse tamen ostendere, adversarios etiam à suis hinc patronis refutari. Resp. Bellarminum rursus parum sincerè veritatem hinc proloqui. SUFFICERE, ἀρκούναι, dicit saltem Paphnutius (non, oportere) si quis in clerum ante contractas nuptias allectus sit, postea non contrahat juxta antiquam ecclesie traditionem. Quasi dicat; sufficere eo usque amore coelibatus progressam esse ecclesiam, ut licentiam

con-

contrahendarum novarum nuptiarum clericis ademerit, non esse progrediendum ulterius, & auferendum ipsum conjugium & usum conjugij. Geminum foret, si quis diceret: sufficere ordinarias quas hodiè vocant contributiones, juxta consuetudinem militarem miseros homines pendere, nec penitus facultatibus exui oportere aut vapulare. Sanè qui ita loquetur, ordinaria illa intributa non admodum probabit. Atque idem esto judicium de verbis S. Paphnutij. Cujus historiam, & Socratis ac Sozomeni circa eam fidem, Baronium & Bellarminum, *fratres Romanæ amafios Helena*, magno conatu sollicitare constat. *Hallucinatos* autem in eo esse, agnovit admirator ipsorum Nihusius apostata, part. II. art. novæ Cap. III, §. 3; & luculenter ostendit excellentissimus Præceptor noster Calixtus ὁ μάλιστα, Tract. de Conjug. Clericorum.

*Iam de alterâ questione, an videlicet liceat sacerdotibus liberis operam dare (uti deinceps matrimonio, ante susceptû sacerdotium inito) Philippus affirmat, ait Cardinalis, & quidem ita, ut subtrahere sacerdotibus conjugium, (distrahere conjugium sacerdotum, vocat Philippus) esse contendat contra veteres Canones, quos tam Pontifices quam laudatissimæ Synodi eondiderint. Nempe hoc unum in verbis Philippi mendacij arguit, quod dicit esse contra veteres quosdam Canones, illam conjugiorum dissipationem. Pergat autem Bellarminus. Mirum autem est, cur nec in Confessione, nec in Apologia, ullum talem protulerint Canonem. Nos e contrario OMNES ecclesiarum Canones proferre possumus, quæ OMNEM usum uxorum sacratis hominibus interdiciunt. Ex quibus Philippi mendacium evidentissimè confutatur. Et ordine affert Canones aliquàm multos, interque eos primo loco Nicæni Concilij primi tertium, quem tamen non legitimas uxores, sed συνεπίκτες, quas veteres vocant, à sacerdotibus removere*

movere, ostendit B. Calixtus Tract. de Conjug. Cleric. fol. 257, 258. & Marcantonius L. II, de Republ. Eccles. Cap. 2, §. 79. ubi fraudem quoque Bellarmini annotavit, quod reticuerit verbum (subintroducitas) & posuerit (omnes). Subjicit deinde Canones quosdam ecclesiarum Africanæ, Hispanicæ, Gallicæ, Germanicæ à temporibus Caroli Magni & deinceps, Anglicanæ tandem & Italicæ. His accedere, inquit, exempla totius antiquitatis. QUOTQUOT enim ab Apostolicis temporibus Episcopi & presbyteri celebres & laudati fuerint, omnes omninò aut uxorem nunquam duxisse--- aut uxores quidem habuisse, sed illis post susceptum sacerdotium operam non dedisse, ut Gregorium Patrem Gregorij Theologi, Hilarium, Paulinum & alios non paucos. Certè (pergit) unum aliquem laudatum episcopum, Presbyterum, Diaconum, subdiaconum aut monachum, qui duxerit uxorem, aut ex uxore ante ducta filios procreaverit, adhuc adversarij invenire in totâ antiquitate minimè potuerunt. Hæc ita omnia ille, qui cum toties mendacia improperat Philippo, ipse in ijs quæ attulimus terque quaterque mendax apprehenditur.

(I.) enim mendacium est, OMNES se ecclesiarum Canones proferre posse, quæ omnem usum uxorum sacratis hominibus interdiciant. Generale enim statutum de omnimodo, ut sic dicamus, clericorum cœlibatu (nam illa de episcoporum continentia, de digamorum exclusione, & matrimonio post initiationem non contrahendo, clericis conjugium ejusque usum universim non adimunt, sed quodam saltim modo limitant ac restringunt) ipsi Pontificij antiquiores doctores non ad ecclesiam primorum seculorum, sed ad post sequutam recentiore, & quidem ad Siricium, qui sub finem seculi post natum Christum quarti episcopatu Romano functus est, referunt. Ipse profectò Nihufius duræ aliàs cervicis disputator, parte tamen II. art. novæ

G

Cap.

Cap. III. §. 31. Calixtum compellans, frustra ita operose probatum is, inquit, conjugij usum in clero illic (in ecclesiâ primitivâ) usitatum fuisse, seculis post primum tribus, cum hoc non negemus. Si hoc non negant, Nihusij iudicio, Papistæ, aut negare eos oportebit, quod jactabat Bellarminus, OMNES ecclesiarum Canones, omnem usum uxorum saceratis hominibus interdixisse, aut fateri, Clericos eos, qui tribus post primum seculis uxoribus usi sunt, Canones impune violasse.

(2.) Observandum quando Bellarminus coacervatis Canonum allegationibus promittit, se ostensurum, omnem usum conjugij sacris hominibus interdictum esse, cum extra orbitam vagari. Distracta esse sacrorum hominum conjugia tanquam irrita & invalida, quod hodie à Papistis fieri amat, hoc debuisset ostendere, hoc enim vetustis quibusdam Canonibus, à laudatissimis Synodis confectis adversum potius esse, dixerat Confessio. Fuisse autem vetustis quibusdam Canonibus sacerdotum conjugia, etiam post ordinationem contracta neutiquam tamen visa distrahenda, adeoque verum dixisse Confessionem, quod hodiernæ illæ dissipationes Canonibus illis adversentur, hoc, inquam, docuit ipse Gabriel Vasquez Jesuita Tomo III. in 3. Thomæ, disput. CCXLIX. cap. IV. num. 33, ubi contra Paludanum & Sylvestrum disputans, postquam ad canones quosdam, quibus illi irritum post susceptos ordines contractum matrimonium veteribus habitum esse, probatum ibant, respondisset, *ex his canonibus id probari non posse*; Num. sequ. disertè pro nostrâ sententiâ & ita pronunciat; *Ex aliis canonibus, in quibus prohibetur sacris hominibus post ordinationem matrimonium contrahere, non invenio ab antiquo tempore, hæc matrimonia irrita fuisse, sed legem ecclesiæ simpliciter solum prohibentem lego, quæ ad irritandum matrimonium* NON SVF-

SUFFICIT — quin potius ex can. 18. Concilij Romani sub Sylvestro, non obscure colligi videtur, hæc matrimonia sic contra legem contracta, rata & vera fuisse, nam si irrita essent, (attende Lector rationem Vasquezij) præciperetur in Concilio ut separarentur, etiamsi alia simul pæna contra eos statueretur, quia non permitteret Concilium in statu illo fornicationis sic conjunctos permanere: ibi tamen solum asseritur presbyteris sic contrahentibus & utentibus, pæna suspensionis aut depositionis; ergò non obscure colligitur, matrimonium hujusmodi verum, & ratum tunc fuisse. Et Numero sequ. 38. quasi ἀνακεφαλαιῶς ὄντων; ego igitur, inquit, usque ad Calixtum secundum, qui fuit tempore Lotharii III. imperatoris, propè tempora Gratiani vel Urbani secundi, qui paulo antiquior fuit, non invenio legem ullam, quæ hæc matrimonia post ordinationes contracta irrita fiant, sed solum prohibeantur, quod longè est diversum. Hæc ita ibi omnia ingenue Vasquetz, quæ clarè ostendunt, quam egregiè hodiernis papistis cum bonis veteribus in hoc negotio conveniat. Marcus quoque Antonius de Dominis Libr. II. de Republ. Eccles. Cap. XI. §. VIII, notavit, pænas quas vetus ecclesia iis statuerit, qui in clero cælibatum non tenuerint, sed post ordines uxores duxerint, esse pænas duntaxat aut depositionis à ministerio, ut precedenti capite (inquit) vidimus Num. 10, 12, 14, 15, 16, 22, 23, 24, 25, 29, 33, 43, 44. aut ad summum excommunicationis: Neque in tota pergit antiquitate, reperire est ullum aut Conciliorum aut Patrum dictum, quo matrimonia hæc irrita aut nulla declarentur. Peccatum quidem agnoscunt, sed matrimonium relinquunt — & postea ut posuimus eodem cap. (Libri cit. II. cap. X,) num. 48. Romani Pontifices talia matrimonia tanquam valida approbarunt.

(3.) Bellarminus quidem operosus est in recensendis particularium Latinæ ecclesiæ Synodorum Canonibus, qui sacrorum antistibus usum conjugij prohibeant. Mem-

52 minisse tamen ex adverso debuisset, quantâ animorum contentione non à Doctoribus tantum, sed ab integris provincijs & nationibus, iniquis illis legibus & attentatis contradicium sit, quod præclarè deduxit magnus ille noster Chemnitius Exam. Concil. part. III. quem *librum se nondum videre potuisse*, Bellarm. Libr. de Clericis cap. XIX, §, *primus autem*, affirmat.

(4.) Sesquipedale planè mendacium est, *quotquot ab Apostolicis temporibus episcopi & presbyteri celebres & laudati fuerint, aut uxores non duxisse, aut uxoribus ante ductis in ministerio deinceps usos non esse*. Certè contrarium ipse Nihusius paulò ante lubens agnoscebat. Exempla quoque frugi omninò hominum, episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, qui suprema & aureâ ecclesiæ ætate in sacris ordinibus constituti, conjuges vixerint, & uxoribus cohabitaverint, habemus è secundo seculo, Dionysij celeberrimi Corinthiorum episcopi; è tertio Cheræmonis, episcopi civitatis quæ dicitur Nilus, Cæcilij Presbyteri Carthagenensis, catechetæ S. Cypriani, Agricolæ, sive presbyteri sive Diaconi; è quarto Spiridionis, Trimethuntis in Cypro episcopi, (*cujus corpus, ut audio, integrum adhuc, incorruptumque visitur hodiè in Insula Corcyra*, ait Nihus. part. I I. artis novæ, c. III. §. 31.) sancti item Hilarij, imò ipsius Gregorij Nazianzeni, filium Gregorium, postmodum *ναί εἰς Θεολογὸν* Theologum dictum, & fratrem ætate minorem Cæsarium, in ipso presbyteratu gignentis; apud D. Calixtum Tractatu de Conjugio clericorum, Hornejum Disput. de Ecclesia, & Gerhardum LL. Com. Tom. VI. de Minister. Eccles. §. 45. Et noti in vulgus sunt de S. Hilario versiculi Baptistæ Mantuani:

Libr. I.  
Fast.

*Non nocuit tibi progenies, non obstiit uxor  
Legitimo conjuncta thoro, non horruit illâ  
Tempestate Deus thalamos, cunabula, & cædas*

*Propterea leges quæ sunt connubia contra  
Esse malas quidam perhibent.*

53

Fac autem, exempla quædam intelligenda esse de uxori-  
bus ante ordinationem ductis, ut Bellarminns caussatur.  
Quare ipsi hodiè ne eos quidem admittunt, aut tolerant  
in sacro clero, qui uxoribus ante ordinationem ductis de-  
inceps uti volunt? Sunt itaque in hoc minimùm veteri-  
bus ipsi dissimillimi.

### MENDACIVM XV.

Artic. eod. *Hinc capitalibus pœnis exeruciantur Sacerdo-  
tes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi  
propter conjugium.* Bellarminus subjicit: Si hoc non est  
mendacium, proferant adversarij vel unum Canonem, u-  
bi prohibitum sit, ne Sacerdotes excrucientur si uxores du-  
cere tentaverint. — Sanè contra Canones esse non potest,  
si pœna statuatur in Canonum violatores. At, inquit  
Philippus in Apologiâ; *Canones tantùm suspendunt ab officiis,  
vos suspenditis ab arboribus.* Ergo fatetur inprimis Philip-  
pus, Lutherum Præceptorem suum, & omnes alios novi  
evangelij ministros, qui uxoribus carere noluerunt, ex  
Canonum sententiâ suspensos ab officio fuisse, & cum ni-  
hilominus officio fungi voluerint, contumaces & rebelles  
contra leges OMNIUM ecclesiarum extitisse, propter quod  
crimen jure sanè ab arboribus suspendi potuissent. De-  
inde neque verum est, antiquos Canones SOLUM ab offi-  
cio suspendisse, sed aliquando *ad extremum vite in mona-  
stera relegasse Concil. Tolet. VIII. Can. 6.* In Concilio Turo-  
nensi II. ante 1000. annos celebrato, Can. XVI, *monachos qui  
uxorem duxerint, dicit excommunicari, & juberi ut de uxoris  
malè sociat. e consortio, etiam judicis auxilio separentur.* Tandem  
ait; nunquam ecclesiam Sacerdotes punivisse propter con-  
jugia,

G 3

jugia,



jugia, ut mentiatur Philippus, sed propter sacrilegia - non punit ecclesia Sacerdotes, quia conjugium inire volunt, sed quia conjugium post solenne votum contrahendo, non verum conjugium contrahunt, sed sacrilegium committunt. -- Quod si contendant, vota continentiae non esse servanda, jam non sacrilegi solum, sed etiam haeretici sunt, & merito ab arboribus suspendi possunt, cum Apostolo contradicant 1 Tim. v. quem locum de voti continentiae violatione intelligendum esse doceant duo antiqua Concilia, Carthaginense IV, Can. 104. & Toletan. IV, Can. 55, duo Pontifices antiqui, Innocentius I. & Gelasius, v, & omnes interpretes hujus loci.

Resp. (1.) Nos Bellarminum rursus jubere proferre unum, è vetustissimis cum primis seculis Canonem, qui jubet Sacerdotes, conjugium incuntes, poenis corporum afflictivis aut *capitalibus* excruciare. Scilicet voluntas Canonum, aut potius conditorum Canonum, ex dictatis ab ipsis poenis apparet. Qui cum nunquam poenas, quales diximus afflictivas, sacerdotibus contrahentibus inflixerint, fieri idem noluisse merito intelliguntur. Contra voluntatem itaque eorum veniunt Hildebrandici carnifices, qui non tantum ab officio, sed ab arboribus Sacerdotes uxorem ducentes suspendunt. Ne nunc dicam, id quoque usu loquendi, dici esse contra voluntatem aut mentem alicujus, quod quamvis non directe ei contrarietur, tamen ei non congruit, sed diversum ab eo abit (2.) Esto, Lutherum & alios evangelij, (quod *novum* veterator Bellarminus criminatur) ministros, uxores ducentes, ex Canonum quorundam sententia ab officio fuisse suspensos, locustum erit inquirendi de aequitate illorum Canonum, quibus fundamentis illi innitantur? Neque enim omnia veterum placita, jussa aut interdicta ea sunt, quae protinus

nus

nus amplectenda veniant & exosculanda (3.) Falsum est,  
 quod Lutherus & socij nubentes, cum Canonibus quibus-  
 dam propter hoc ipsum ab officio suspensi essent, & ni-  
 hilominus officio fungi vellent, hoc ipso contra leges O-  
 MNIMUM ecclesiarum venerint. Nec enim, ut jam aliquo-  
 ties ostensum, omnes omni tempore ecclesiæ, conjugium  
 sacerdotibus prohibuerunt, aut contrahentes à functio-  
 ne officij arcuerunt (4.) Neque dicit Philippus in Apolo-  
 giâ, Canones SOLUM ab officio suspendisse. Exclusivam  
 illam de suo addit Bellarminus. Tantùm id vult Philip-  
 pus, Canones ad pœnas afflictivas corporum, ad supplicia  
 & tormenta non processisse, nec tale aliquod exemplum  
 afferre potuit Bellarminus. Deinde, cum indefinitè loqua-  
 tur Philippus, Canones suspendisse ab officio &c. satis est  
 ad eum defendendum, aliquos vetustos Canones mi-  
 tius quàm hodierni Papicolæ faciant, sensisse. Nec mi-  
 rum est, si cum tyrannide Pontificiâ, pœnarum quoque se-  
 quioribus temporibus creverit crudelitas (5.) Conjugium  
 post solenne votum contractum, non conjugium, sed sa-  
 crilegiũ esse, principij petitio est, præsertim si cum *Scoto, Pa-*  
*ludano, & omni scholâ Iureconsultorum (Canonistarum) assera-*  
*tur, solo jure ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post*  
*votum solenne contrahitur,* Bellarm. Libr. de Monachis cap.  
 xxxiv. §. *At Scotus,* quam sententiam ibi non audet impro-  
 bare Bellarminus. Unde enim habet, hoc imaginarium  
 conjugia irritandi jus, Papistica ecclesia (6.) Nec quis-  
 quam nostrum contendit, vota continentix simpliciter  
 non esse servanda, sed, si periculum præsens peccandi im-  
 mineat, Dei mandatum de ducenda tũ uxore existimamus  
 temerario voto præferendum esse. Hoc docuit ipse Cy-  
 prianus (cujus verba mox à Bellarmini detorsione vindi-  
 cabimus,) ut nos hæreticos & sacrilegos vituperare illene-  
 queat,

56 queat, quin simul illum sanctum, sacrilegum & hæreticum criminetur (7.) Hæreticos ab arboribus suspendi posse, nec Christus nec Apostoli docuerunt, aut unquam facere instituerunt, sed Christi & Petri egregius ille si Dis placet, Vicarius, Pontifex Romanus,

*Sævior hic tristi Busiride, sævior illo*

*Qui falsum lento torruit igne bovem*

ejusmodi crudelitatem in ecclesiâ exercuit (8.) Locum i. Tim. v. 12. *primam fidem irritam fecerunt*, de voto abstinentiæ loqui, rursus temerè sumitur. Nos dicimus, *primam fidem esse ibi primam agnitionem Dei, & vitam ex eâ piè institui ceptam*. Pater hoc ex eodem capite vers. 8: *si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior*. Item vers. 15. *Iam enim quædam converse sunt retrò post Satanam*. Similia quo ad sensum leguntur II Petr. 11, 20, 21, 22. Nempe hoc vult sibi Apostolus, juniores viduas tandem ita luxuriare, ut nubant quædam non inter Christianos, sed inter ethnicos, adeoque in gratiam novorum maritorum primam fidem (*non voti monastici, sed Christianismi* Apologia Aug. Conf. de Vot. monast.) abjiciant. Patrum, quantumvis multorum (ad plures enim hoc loco, pro suâ expositione provocat Bellarminus) in explicatione particularium scripturæ locorum tanta auctoritas non est, ut ab ijs justis de causis recedere non liceat, cum id juris Bellarminns & alij Pontificij commentatores tota die sibi sumant, quod exemplis tantum non innumeris doceri posset. Conciliorum, etiam universalium (nedum particularium, qualia sunt duo illa à Bellarmino adducta) *maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes que præmittuntur, neque rationes que adduntur, neque ea que ad explicandum & illustrandum afferuntur, sed tantum ipsa nuda decreta, & ea non omnia, sed que proponun-*

ponuntur tanquam de fide. Sic docet ipse Bellarm. Libr. II. 57  
de Concil. cap. XII. cui id ipsum, duo hic antiqua Concilia cre-  
panti occinendum fuit. Imò etiam ex Patribus quidam per  
primam fidem intelligunt eam, quam in baptismo amplexi & pro-  
fessi sumus, quam irritam reddi sentiunt per doctrinas hereticas  
ut Athanasius Libr. 6. de Trinitate, Hieronymus in Præfat. episto-  
la ad Titum, & Vincentius Lerinensis in libro contra profanas  
hereseon novitates; si credimus Chemnitio Exam. Concil.  
Trid. de Coelibatu & Virginitate Cap. IX, §. 4. fol. 60, edit.  
Francofurt. in maj. 8vo.

### MENDACIUM XVI.

Artic. eodem. Cyprianus suadet ut mulieres nubant, quæ  
non servant promissam castitatem. Verba ejus hæc sunt Libr. 1.  
epist. 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est  
ut nubant, quàm ut in ignem delictis suis cadant. Mendacium  
hoc esse ait Bellarminus, & Cyprianum non de ijs loqui,  
quæ continentiam voverunt, sed de ijs quæ adhuc delibe-  
rant, quid sint facturæ, & interim extrà matrimonium im-  
pudicè vivunt.

Resp. Audiamus ipsa S. Martyris verba, quæ ita clara  
sunt, ut omnem detorsionem facilè respuant. Epistolâ ad  
Pomponium: Legimus literas tuas frater carissime, quas per <sup>ep. 62, juxta</sup>  
Paconium fratrem nostrum misisti, postulans & desiderans, ut tibi <sup>edit. Pame-</sup>  
rescriberemus, quid nobis de ijs virginibus videatur, quæ quum se- <sup>lij.</sup>  
mel statum suum continenter & firmiter tenere decreverint, de-  
iectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis (ex  
quibus unum Diaconum esse dicis) & planè easdem, quæ se cum  
viris dormisse confessa sint, adseverare se integras esse. — In-  
tercedendum est cito talibus, ut separentur, dum adhuc separari  
innocentes possunt, quia dividi postmodum nostrâ intercessione  
non poterunt, posteaquam conscientia gravissimâ cohaeserint. De-  
H ntique

nique quam graves multorum ruinas hinc fieri videmus, & per hujusmodi illicitas & periculosas conjunctiones corrumpi plurimas virgines cum summo animi nostri dolore conspiciamus. Quod si ex fide (fideliter, sive fideli proposito, promissione, incepto) se Christo dedicaverunt, pudicè & castè, sine ullà fabulà (nihil causæ quare fabula vulgi fiant, præbentes) perseverent, ita fortes & stabiles premium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt aut non possunt, melius est nubant, quàm in ignem suis delictis cadant. Manifestum est Cyprianum loqui de ijs virginibus, quæ STATVM suum TENERE decreverint, quæ ex fide se Christo DEDICAVERTINT, quas jubet perseverare, quod est ejus, qui aliquid jam tum incepit. Falsum itaque erit, Cyprianum non loqui de ijs virginibus, quæ voverint, sed quæ adhuc deliberant & c. ut Bellarminus comminiscitur. Quin imò ipse Pamelius quantumvis Papista, Annotatione in hunc locum, ceu satis manifestum agnovit, loqui Cyprianum de virginibus, quæ votum continentie emisserint. Nihilominus Bellarminus extremo conatu stellis nebulam spargere candidis molitur, productis in medium tribus sequentibus argumentis.

I. Quia Cyprianus non ait, si perseverare nolunt aut non possunt, quæ promiserunt Christo continentiam, sed simpliciter, si perseverare nolunt aut non possunt, melius est ut non voveant, quàm ut voveant, & votum non impleant. Resp. nos eodem modo Bellarmino posse obloqui: Cyprianum id quoque non dicere quod verbis ejus Bellarminus infarcit, melius est ut non voveant, quam ut voveant & votum non impleant. Hoc interim clarè dicit S. Martyr, si se Christo DEDICAVERTINT, perseverent, si perseverare nolunt aut non possunt, melius est, nubant & c. Ex quibus satis intelligitur de qualibus ille virginibus loquatur.

II. Quia in sequentibus verbis, idem Cypr. conjugia detestatur

statum earum, quae se Christo dicaverant: Christus, inquit, Dominus & iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam cum altero jacere cernit, quam indignatur & irascitur, & quas poenas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur! Resp. hanc meram impudentiam esse. Textus inspectus statim docet, per incestas conjunctiones S. Martyrem non conjugium, quod virginibus illis incontinentibus ibi ineundum suadet, sed clancularias illas & illicitas, de quibus initio epistolae loquebatur commixtiones intelligere.

III. Quia, cum Cyprianus sub disjunctione loquatur, & dicat: si perseverare nolunt aut non possunt, si tum de iis loqueretur, quae continentiam promiserunt, videretur velle dicere licitum esse iis, pro arbitrio vota violare, si tantum nolint perseverare, etiam si possint, quod certe nemo sanus admittet. Hoc vult, si Cyprianus de virginibus quales nos ponimus loquatur, videri ita dicere, si vel non possint continere, aut etiam, si saltem nolint, melius esse ut nubant. At hoc indignum esse sancto Cypriano, nempe, ut statuerit si saltem nolint aliqua virgo perseverare, statim ei melius esse ut nubat. Resp. Cyprianum per illud nolle, non temerarium quodvis nolle, sed tale intelligere, quod ab explorata continendi impotentia in animo sit subortum. Aut etiam, possunt verba ejus sic accipi, ut illud non posse sit quasi ἐπινοήτων prioris ~~et~~ nolle, hunc in modum; si nolint, vel rectius, non possint se continere, melius esse ut nubant &c.

Argumentis jam discussis, subjungit duas conjecturas. Sed quia textus Cypriani clarior est, quam ut sophisticis Bellarmini nebulis obscurari potuerit, ne responsione quidem eas dignabimur.

#### MENDACIUM XVII.

Articulo de Missa: Falso accusantur ecclesiae nostrae, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa re-

60 *verentiâ celebratur.* Bellarminus adducit primùm loca nonnulla è Smalcaldicis articulis, quæ Missam abrogandam esse doceant. Et subjicit; si Missam dudum abrogandam esse dicitis, cur non abrogastis? aut si abrogastis, cur eam splendidè mentimini? Objicit deinde sibi: Dicent fortassis, Pontificiam missam, hoc est, oblationem corporis & sanguinis Dominici pro vivis & mortuis à se abrogatam, Lutheranam autem, id est eucharistiæ distributionem retineri. At nò accusantur ecclesiæ vestræ (respondet) quod eucharistiæ distributionem aboleant, sed quod sacrificium è medio tollant, quod omnibus seculis in ecclesiâ fuit. Igitur si per Missam intelligitis cœnam dominicam, mendacium est quod accusemini: Si verò sacrificium, mendacium est quod falsò accusemini.

Resp. Bellarminum Loioliticam suam impudentiam nobis hîc egregiè ostendere, dum mendacium Confessoribus impingere audet, quod nec viderunt nec deprehenderunt ipse Rom. Imperator & reliqui Principes Papistici, quando Confutationem suam sic dictam articulo illi opposuerunt. Scilicet illos præ Bellarmini sagacitate hebetes fuisse oportet!

Quanto rectius nos colligemus; Cum Pontificijs tempore exhibitæ Confessionis ex eâ ipsâ constaret, Protestantes per Missam intelligere distributionem Eucharistiæ, cumque illos publicè asserentes Missam (hoc utiq; quem innui modo intellectam) à se non esse abolitam, tamen idcirco non reprehenderent, ipsis, Pontificijs, tum nondum infixam animis fuisse opinionem sacrificij illius propriè dicti in eucharistiâ, quod Lojola discipuli post Concilium Tridentinum hodiè defensum eunt. Nempe in Concilio Tridentino *primùm aperte determinata hæc res est*, ait ingenuè Guilielmus Alanus Papista, de Eucharist. Sacrificio.

ficio, Cap. x. Ad Bellarmini cornutum argumentum dico, cornu alterutrum vitro fragilius esse. Omnino per Missam intelligimus cœnæ domini distributionem, quando dicimus eam apud nos non esse abolitam. Sed tū mendacium est quod Missæ abolitæ accusati, sitis! Nos rursus mendacium est, nos ejus abolitæ non esse accusatos. Plus sane fidei merentur majores nostri, rerum tum temporis gestarum ἀπὸ τοῦ καὶ ἀπὸ τῶν, qui id asserunt, quam qui heri & nudius tertius ebullit aliquis perfritæ frontis Iesuitæ, qui id neget. Simpliciter & indiscretè clamabant Papistici sicophantæ, Lutheranos abolere Missam, qua voce auditâ, æquè imò magis intelligi poterat, Missâ illos verè Christianam abolere, quam commentitium illud Papistarum sacrificium. Nota sunt verba Lutheri Præfat. artic. Smalcald. *Fuit VVitebergæ Doct̃or quidam ex Gallis missus, qui nobis palam indicabat, Regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse ecclesiam, nullum magistratum, nullum conjugium, sed promiscuè omnes pecudum more vivere pro arbitrio.* Qui talia sine fronte de nobis mentiri non dubitarunt, quomodo non addidissent, missam quoque apud nos omnem esse abolitam?

#### MENDACIVM XIX.

Artic. eodem. *Accessit opinio, quæ auxit privatas missas in infinitum, videlicet quod Christus suâ passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in quâ fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus.* Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus delens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Multa sunt, succinit Bellarminus, in his paucis verbis, vel absurda, vel mendacia, vel pugnancia cum superioribus partibus hujus libri. Primum enim, quis ante hoc tempus audivit, peccata mortalia vocari delicta quotidiana? — deinde impudenti mendacio tribuitur Ca-



tholicis Doctoribus illa divisio, quod Christus passione suâ satisfecerit *solum* pro peccato originis, pro actualibus autem instituerit Missam. Nemo enim Catholicorum unquam sic docuit, sed credimus & profitemur, Christum in cruce pro omnibus omninò peccatis satisfecisse, tam originalibus quàm actualibus, quia tamen meritum ejus non prodest, nisi certâ ratione applicetur — propterea docet ecclesia Catholica, ad meritum Christi applicandum instituta esse varia sacramenta, & ipsum corporis Domini sacrificium, quæ omnia ex opere operato utilia sînt, & ad peccatorum purgationem conducant.

Resp. Nihil absurdi esse, etiam si id Bellarmino esset inauditum, peccata mortalia vocare quotidiana, non quod fidelibus & in statu gratiæ constitutis quotidiana sint, *absit!* sed quia in ecclesia quotidie sînt, qui in ea relabuntur. Quin adducit, ut mox videbimus, Bellarminus ipsum Thomam, qui peccata actualia (quæ sane mortalia suo ambitu includunt) *quotidiana* vocaverit. Quomodo itaque hoc inauditum fuit Bellarmino? Deinde, impudenti mendacio asserit, neminem catholicorum unquam sic docuisse, quod Christus suâ passione satisfecerit solum pro peccato originis, pro actualibus autem instituerit Missam. Adducit enim ipse statim Thomam qui sic docuerit. Verba Cardinalis integra dabimus.

*Sed video unde Philippus occasionem arripuerit mentiendi & calumniandi, quia videlicet S. Thomas in opusculo de Sacramento altaris Cap. 1. docet, corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito Originali, jugiter offerri in altari pro debitis quotidianis. Quid quærò apertè magis dici posset? & quid hîc aliud docet Thomas, quam quod totidem verbis ei tribuit Confessio? Nec divinandum diu erat Bellarmino, unde Philippus hanc non calumniam, sed verissimam & ipsi-*

ipfiffimis Thomæ verbis comprobata accusationem hauerit, cum Apologia difertè fcribat; *Repudiandus est error Thomæ, corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito Originali, jugiter offerri pro quotidianis delictis in altari &c. De Sacrific. Missæ, titulo. Quid sit sacrificium &c. sub finem.*

At Bellarmino cataplasma in promptu est, quod fædo illi ulceri Thomistico inducere conatur. *Sanctus Thomas non dicit, in cruce pro solo debito Originali oblatum Christi corpus, imò etiam pro actualibus oblatum docet 3. part. qu. 1, art. 4. & qu. 49, art. 1, ad 4. Id ergo in eo opusculo sibi voluit Thomas, quia peccatum originale semel dimissum, nunquam repetitur, idè ad illud expiandum non esse necessaria quotidiana sacrificia, sed sufficere sacrificium crucis semel peractum, & semel per baptismum applicatum. At pro actualibus peccatis, quæ sæpius committuntur, instituta esse præter baptismum quotidiana remedia, in quibus sacrificium altaris merito numeratur. Non quod statim justificet, ut adversarij mentiantur, sed quod JUVET ad placandum Deum, & ab eo IMPETRANDVM, ut super peccatores clementer respiciat, eis que desiderium conversionis inspiret, atq; ad justificationem quaerendam & obtinendam disponat.*

Resp. His ipsis pro lubitu confictis strophis, rediri ad eandem impietatem. Quæro enim, an non sacrificium Christi in cruce oblatum, illud etiam impetraverit, ut Deus relapsis desiderium conversionis (pro suâ libertate, & pro ut ejus sapientiæ visum fuerit) dignetur inspirare? Si neget Bellarminus, contradicet Paulo, *omnem spiritualem benedictionem in cælestibus bonis sacrificio Christi in cruce oblato adscribenti Ephes. 1, 3*; Si admittat, quomodo is effectus, ut Deus super relapsos clementer adspiciat &c. sacrificio crucis jam impetratus, in sacrificio Missæ quoq; impetratur ut loquitur Bellarminus? Si diceret applicari, plus coloris res haberet, quanquam nec id fieri, doceri ex scriptura

ptura potest. Sed Bellarminus dicit, sacrificium Missæ valere ad effectum quem posuit *impetrandum*, qualem impetrationem, applicatio aliàs supponit. Manifestè Bellarminus cum suo Thoma virtuti sacrificij crucis impiè decerpit, & quod huic soli competit, in aliud quoque, idque effusum & nullo unquam conatu ex scripturâ probari aptum, transfundit. Adeò verè hic accidit mendaci Bellarmino quod illis solet, qui è cœno alium extracturi, una cum ipso in idem prolabantur.

#### MENDACIVM XIX.

Eodem articulo. *Veteres ante Gregorium, non faciunt mentionem privata missa.* Antequam respondeamus Bellarmino, juvat hoc interloqui, privatam Missam Confessioni & nobis non eam esse, quæ privato saltem in loco peragitur, sed eam demum, in qua solus ille qui consecrat, corporis & sanguinis Domini fit particeps, sive id publico, sive privato in loco fiat. Vnde libentius Missas ejusmodi *solitarias* velimus vocare, quàm privatas.

Nunc Bellarminum audiamus. *Si per Missam privatam intelligunt eam, quæ non fit in loco publico, vel ad quam non convenit populi multitudo, vel in qua non distribuitur populo (nec ulli alteri præter consecrantem; addi debuisset) sacramentum, falsum est, apud veteres non exstare memoriam ejusmodi Missarum, ante tempora Gregorij.*

Probat falsum esse Bellarminus: Certè Augustinus Gregorium ducentis ferè annis antecessit, & tamen Libr. xxii, de Civit. Dei Cap. viii, scribit hæc verba: *Vir tribunus Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illuc pergeret, cujus orationibus cederent.* Perre-

*xix unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessavit.* Addit Bellarminus: Habes hic Missam in loco privato ab uno celebratam, sine distributione eucharistiæ populo factâ, & tamen utilem & Deo gratam, ut miraculum subsequens declaravit.

Resp. Bellarminus Libr. II, de Missâ Cap. IX. coactus est disertè fateri, quod nusquam expressè legamus, à veteribus oblatum sacrificium sine communione alicujus vel aliquorum, præter ipsum Sacerdotem. Tantùm eò decurrit posse se id ex conjecturis facile colligere. Qualem autem conjectura probandi vim habeant, nemini potest esse incognitum. Ad præfens exemplum dico, id plane non probare quod debebat, nempe Missam ibi ita esse peractam, ut solus consecrans Dominici corporis particeps factus fuerit. *Nec enim qui oblatum dicit, communicatum negat, etiamsi taceat,* dicebat rectè ex ore Claudij Espencèi Henricus Julius Blumius dum adhuc meliorum partium esset, Disputatione de Missis Solitarijs §. LXIII.

#### MENDACIUM XX.

Articulo de Confessione. *Anteà immodicè extollebantur satisfactiones, fidei verò & meriti Christi, ac justitia fidei nulla fiebat mentio.* Hoc mendacium refellunt omnes libri Catholicorum, in quibus & fides passim prædicatur, & virtus sacramentorum & ipsarum etiam satisfactionum ad meritum Christi refertur. Mentitur ergò qui dicit, ante hæc tempora nullam factam esse in ecclesiâ fidei, & meriti Christi mentionem.

Resp. Bellarminum semet ipsum mendacij luculenter arguere. Ipse enim, qui sine dubio à Veterioribus Papistis in hoc negotio neutiquam dissentire videri vollet, & fidem justificantem qualem nos juxta scripturam de-

describimus, & meritum Christi fide speciali apprehensum, & iustitiam per fidem imputatam perpetuò explodit, & quàm potest maximè scurriliter insectatur, quin hoc ipso maledico Libello, Mendacio xxix, contra Apologiam disputans, *specialem illam fidem, qualem nos ponimus, deletam funditus atque exstirpatam se optare ait.* Quomodo itaque sine aperto mendacio hoc loco affirmare possit, *omnes Catholicorum libros fidem* (de quâ nobis sermo est) *passim prædicare*, bonos quosque viros iudices esse patiemur.

Et quid ille nos mentiri diceret, querentes de satisfactionibus immodicè olim apud suos de prædicatis? Cum ipse homo impius indignas ejusmodi, & in mortem ac meritum Christi contumeliosas, de satisfactionibus humanis sententias, in libris suis passim spargere non dubitaverit. Ita scribit Libro IV, de Pœnit. Cap. vii. Col. 1205, *nos accedente Dei gratiâ, verè posse aliquo modo ex propriis, ad equalitatem, ac per hoc justè & ex condigno satisfacere.* Item, Libr. Cit. Cap. xiii, *valdè probabile esse, quod satisfactio quam Deo reddimus, non pertineat ad solam iustitiam, sed etiam ad amicitiam.* Quid autem est immodicè extollere satisfactioes, si hoc non est? Certè Bellarminus ipse alibi, hæc satisfactionum præconia moderanda esse vidit & putavit. Libr. IV, de Pœnit. Cap. i, docet, *duplicem esse satisfactionem, unam que consistat in absolutâ & perfectâ equalitate, alteram que non consistat in perfectâ equalitate &c. & totam controversiam esse, de imperfecta illa Chimericâ satisfactioe.* Similiter Libr. eod. Cap. i, §. 8. dilertè scribit pro amicitia reformandâ non posse hominem Deo satisfacere. Iure protectò meritò Bellarmino hic suggeremus vulgatum illud; *Mendacem oportet esse memorem.*

#### MENDACIUM XXI.

Articulo de votis Monast. Augustini tempore monasteria

erant

erant libera Collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitatio carcere disciplina restitueretur. Mendacium hoc, inquit Bellarminus, sanè dignum est, cui non solum octo millia Lutheranorum subscriberent, sed etiam tot illustres civitates, totque illustrissimi Principes, suffragium suum adjungerent. Et adducit Augustini duo quædam loca in quibus voti eorum, qui in monasterio viverent, meminit. His jungit Chrysostomum, nuptias eorum qui monasterium deserunt, adulterio peiores vocantem, Hieronymum qui virginum, quæ se Deo voverint, mentionem injiciat, Epiphanium scribentem contra hæres. 61: tradidisse S. Apostolos, peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converteri, Basilium qui nominatis patribus aliquanto vetustior fuerit, dicentem, Domino virginitatem professas, stupri scelus honesto conjugij nomine cupere obtere, quod Bellarminus Catharinæ, conjugij Lutheri, sicut & sequentia ejusdem Basilij βαρύτερα; horrendo sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur, Luthero ipsi dicta putat.

Resp. Bellarmino quod jam tum doctissimus Gerhardus ad similia plura Patrum loca, Libr. II. de Monachis Cap. xxvii. ab ipso accumulata, reposuit; Testimonia illa pleraque (cum primis pauca hæc quæ hoc loco attulit Bellarminus) de voto continentie simplice, hoc est de Professione & proposito cælibatus loqui, non autem de voto solenni, quo sub conditione aeternæ damnationis, quocunque etiam casu emergente conjugium penitus abjuratur. Nullus certè horum locorum ejurati prorsus conjugij meminit. Discrimen autem inter propositum continendi ejusque professionem, & votum in sensu Pontificio acceptum, prolixè exponit laudatus Dn: Gerhardus Loc. cit. §. 512. Ipse certè Johannes à Daventriâ, Harmon. August. Conf. à Fabricio Leodio editâ ad hunc articulum, ex Dionysij quibusdam verbis de-

Loc. com.  
de Conjug.  
§. 516.

68 ducit, ante Augustinum fuisse monachos, de quibus non satis constet, an tunc voverint nec ne fol. 510.

Epiphaniij verba, quod S. Apostoli tradiderint, peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti, aperte rejicula sunt, ubi enim hoc docuerunt Apostoli? Ad Basilij loca respondere placet verbis B. Chemnitij, Exam. Concil. Trid. Part. III, de Cœlibatu & Virginitate Cap. IX, fol. 66. edit. Francofurt. in majori 8vo: Non numerandi sunt quot sint, qui fortiter aliquid asseverent, sed ponderandum est quam firmiter, & ex quibus fundamentis id quod dicunt probent & confirment. Accedit & hoc, quod non sine contradictione vota illa à Patribus in ecclesiam introducta sunt. Basilio enim hæc in re contradixit clerus Neocasariensis. Hieronymi Votariis, quam acriter Romæ contradictum fuerit ipse non scriptis tantum, sed discessione etiam suâ testatum fecit. Et Ambrosius quot & quam acres habuerit hæc de re in ecclesiâ sua contradictores, ipse multis conqueritur l. 3. de Virginibus. Novum igitur hoc fuit tempore Basilij in Graciâ, tempore Hieronymi in Romanâ, tempore Ambrosij in Mediolanensi ecclesiâ. Si itaque novum fuit tempore Basilij & Ambrosij, qui Augustino antiquiores sunt, votis aliquos irrevocabilibus ad cœlibatum adstringere, & his ipsis Doctoribus, quod novi hujus exempli auctores essent, tanta contentione contradictum est, illic sequitur, licuisse hætenus illis, qui perpetuam ejusmodi virginitatem servare animo proposuerant, eamque profecti etiam erant, necessitate ferente ab illo proposito recedere. Idem Chemnitius indicat, celebre illud quod vocat, omnium fermè veterum ipsius hæc etiam Basilij argumentum, de desponsatione sanctimonialium cum Christo, Augustinum de bono viduitatis Cap. x. expressè rejicere & refutare, recitatis multis absurdis quæ inde sequuntur, & vocare opinionem minus consideratam. Equibus non tantum Bellarmini in Lutherum

fol. eod. &  
præced 64.

rum ejusque conjugem scurrilitas, satis superque retundi-  
tur, sed responsio quoque parata est ad illam Bellarmini  
objectionem, quam ex adductis Basilij aliorumque verbis  
format: *cur obsecro nuptiæ Monachorum adulteriis sunt pejores,  
si nullis votis teneantur?* Supponit scilicet Basilius *illam san-  
ctimonialium cum Christo desponsationem*, quam Augustinus  
confutat & ob hanc ipsam, nuptias ejusmodi personæ ad  
ulterio pejores vocat. Sublatâ autem illâ desponsatione,  
tollitur simul illud quod votariis nubentibus impropera-  
tur adulterio pejus crimen. Dimittamus itaque hoc loco  
Basilium, quamvis aliâs re & nomine magnum.

MENDACIVM XXII.

Artic. eod. *Docebant vota paria esse baptismo, docebant  
se hoc vita genere mereri remissionem peccatorum, & justificati-  
onem coram Deo. Et infra; ita persuadebant vitam monasticam  
esse meliorem baptismo. Et addit Philippus in Apologiâ;  
docebant applicata aliis, alios salvare. Subjicit Bellarminus:  
At quis Catholicorum unquam ita docuit? Et distinguit  
ac dicit (1.) opera religionis (monastica) esse meritoria vite æ-  
ternæ & si à justis fiant, conducere ad satisfaciendum pro pecca-  
tis, sicut cetera omnia bona opera, at mereri justificationem illam,  
quâ ex impiis efficitur justus, nullum Catholicorum docere (2.)  
posse Monachos facere alios homines operum suorum bonorum par-  
ticipes, -- at quod possit monachus alios suis operibus salvos facere,  
merendo eis gratiam & gloriam, mera calumnia est, inquit, ne-  
mo nostrum dicit, (3.) inter baptismum & monachatum esse quan-  
dam similitudinem, quod sicut in baptismo remittatur omnis pœ-  
na peccatis debita, ita quoque in susceptione vite monastica fieri*  
CREDIBILE SIT. *At non continuo anteponimus, pergit, vel  
aquamus Monachatum baptismo: Baptismus enim & culpam &  
penam remittit, & hominem de impio facit pium, de filio Diaboli  
filium Dei; Professio verò monastica solam pœnam remittit, quæ*



70 remissam culpam aliquando remanet. Neque hæc est solius Thomæ doctrina (ut Philippus existimat) sed etiam veterum SS. Patrum. Scribit enim S. Athanasius in vitâ B. Antonij, Angelicam vocem aliquando auditam, quæ testaretur D. Antonio omnia peccata esse dimissa, cum per vitam monasticam seculo renunciavit. Addit ex S. Hieronymo & Bernhardo, qui vitam monasticam secundum quodammodo baptismum vocaverint. Claudit tandem, nec S. Bernardum nec Thomam, nec ullum Catholicorum vitam monasticam baptismo anteposuisse, quod tamen, Philippus Catholicis (Papistis) tribuat.

Resp. Bellarminum hic ipsum profligato omni pudore turpissimè mentiri. Prodeant ex ipsis Papistarum monachis, qui os illud erubescere nescium palàm confundant. Antoninus Florentinus, Ordinis prædicatorum, vir, elogio Cretenis nostri Libro de Scriptoribus, doctissimus & sanctissimus parte III. Summæ Theolog. tit. XVII. Cap. 3.

De fructu seu utilitate professionis dicit Thomas 2. 2. q. 188. art. 3, ad 3, quod rationabiliter dici potest, quod per ingressum religionis consequitur quis REMISSIONEM OMNIUM PECCATORVM, sicut per assumptionem crucis. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Dan. 4, Peccata tua eleemosynis redime: multo magis in satisfactione pro peccatis suis sufficit, quod aliquis totaliter se divinis obsequiis mancipet per religionis ingressum, quod excedit omne genus satisfactionis etiam publicæ penitentia. Vnde in Vitis Patrum legitur, quod EANDEM gratiam consequuntur religionem ingredientibus, quàm & baptizati. Rursus Titul. eodem Cap. x: Nemo ingredi potest in patriam, nisi prius purgetur maculis peccatorum quoad CULPAM ET DEBITVM POENÆ. Sed citius & plenius in religione, quàm in seculo potest purgari, & hoc per tres modos, per exercitia corporalia, per exercitia temporalia -- Vnde & Thomas 2.

2da

2dæ qu. 199. art. 3. ad 3. dicit in summa, quod PER INGRES-  
SVM RELIGIONIS id est professionem, probabiliter dicitur  
HABERI REMISSIO OMNIVM PECCATORVM  
scilicet QVOAD CVLPAM ET QVOAD POE-  
NAM: si tamen cum devotione & proposito fiat. Dicitur enim  
ecclesiastici primo, Religiosus justificabit cor, id est purificabit &c.  
Bella sane, & monachis planè digna scripturæ expositio!

Vetustiori monacho addemus recentiore, Johan-  
nem à Daventriâ, Harmoniâ Confess. Fabricij Leodij. Re-  
citaverat ille verba Confessionis eadem illa, quæ Bellar-  
minus sibi exagitanda sumit.

Docebant (inquiunt) vota paria esse baptismo, docebant se  
hoc vita genere mereri remissionem peccatorum, & justificatio-  
nem coram Deo. Imò addebant, vitam monasticam non tantum  
mereri justificationem coram Deo, sed amplius etiam, quia serva-  
ret non modo præcepta, sed etiam consilia evangelicæ.

Tum nulla circuitione usus, subjicit sequentia: Si hæc fol. 514  
docuerunt monachi, certè nihil falsè, sed si adsit sanum iudicium,  
nihil pertinaciter docuerunt --- utrum vota monastica baptismo  
sint paria, aut quomodo sint paria, cum sit extra rem, nihil hæc  
dicemus. Si docere poterunt adversarij, hanc doctrinam habe-  
re aliquid incommodi, erunt haut dubiè qui iis respondeant. Quod  
docent monachi monasticam vitam mereri remissionem peccato-  
rum & justificationem, Evangelicæ doctrinæ nihil adversatur, imò  
sacris literis undiquaque consonum est. Quid enim est monasti-  
cè vivere, nisi castè, obœdienter, abstinenter & in summâ pau-  
pertate vivere, mente & spiritu, corpore & anima, totum Deo  
esse mancipatum? Quæ qui per fidem, licet informem exsequun-  
tur studia, de congruo merentur gratiam, quæ justificentur. Sed  
cum fide facias caritate formata, de condigno mereris vitam æ-  
ternam. Eat nunc Bellarminus, & irritò labore porrò fœ-  
tida illa monachorum stercora, ut amaracinum oleant  
condi-

condire labore. Vitam illam Antonij qualis hodie ex-  
stat, & Athanasio autori tribuitur Bellarmino hic citatam,  
ignavi & degeneris cujusdam cuculi ovum, alienis alis sce-  
lestè suppositum esse, grandis suspicio est. Legatur Ri-  
vetus, Critico, ubi de hoc ipso scripto disputat, & ad ratio-  
nes quibus Bellarminus ejus natales vindicare voluit, re-  
spondet.

fol. cit. lat.  
b.

Postquam autem Bellarminum domesticis testimo-  
niji mendacij & impudentiæ nullo modo ferendæ convi-  
cimur, juvat nunc subicere verba quædam Megalandri  
Lutheri, Tomo Jen. German. ad Anno. 1533. Apologia  
adversus Ducem Georgium fol. 21. Das aber die Müne-  
che die Tauffe Christi ihrer Müncherey vergleichen haben/das  
können sie nicht leugnen / denn sie habens durch vnd durch in  
alle Welt so gelehret vnd gebrauchet / vnd mir ward auch also  
Glück gewünschet / da ich die profession gethan hatte / vom Pri-  
or / Convent vnd Beichtvater / daß ich nun wehre als ein uns-  
schuldig Kind / das ist rein aus der Tauffe keme. — Solche  
Münchtauffe haben sie hernach noch viel höher außgebreitet /  
vnd wil hie ein exempel sagen / ich war einmal hier zu Arnstadt  
im Barfüßer Closter / da saß über Tische D. Henricus Küne  
ein Barfüßer / den sie für einen besondern Mann hielten / vnd  
preiset vns daher / wie ein köstlich Ding der Orden stand weh-  
re für anderen Ständen / darumb / das dieser Tauffe halber ein  
solch vorthail drinnen wehre / wenns einen schon gerewen hätte-  
te / daß er ein Münch wehre worden / vnd damit alle seine vort-  
ge gute Werke vnd Leben verlohren / so hätte er dennoch das  
zuvor / wo er umbkerte / vnd von neuen an einen Vorsatz neh-  
me / er wolle / wo er nicht ein Münch wehre / noch ein Münch  
werden / so were dieser newer Vorsatz eben so gut / als der erste  
Eingang gewesen / vnd wehre von neuen abermal so rein / als  
keme er auß der Tauffe / vnd möchte solchen Fürsatz / so offte er  
wolte /

wolte / verndwen / so hätte er immer wieder eine neue Tauffe  
 vnd vnschuld bekommen etc. Wir jungen Mönche fassen /  
 vnd sperreten Maul vnd Nasen auff / schmakten auch für andache  
 gegen solcher tröstlicher Rede / von vnser heiligen Möncherey /  
 vnd ist also diese Meinung bey den Mönchen gemein gewesen.  
 Das mögen mir ja die rechten Wiederteuffer heißen. —

Sie hilffte kein leugnen / denn ihre Bücher ( wie gesagt ) sind fol. 22.  
 fürhanden die solches lehren / so leben wir auch noch die sol-  
 ches erfahren haben vnd wissen etc. Hæc, & in eum sensum  
 plura, lectu ac consideratu dignissima ibi LUTHERUS,  
 verè Χριστὸν σῶμα καὶ Θεὸς τις τῶν Θεολόγων. Ἀμφοτέρων ῥήτης τ'  
 ἀγαθὸς, καὶ πρὸς τ' ἀίχμητις. Cujus divini viri hæc est gloria,  
 quod veterum quispiam de Virgilij laudibus scripsit, ut nullius  
 laudibus crescat, nullius vituperatione minuat, cum ipse λόγος  
 καὶ ψόγος πάντος κρείττων, & Θεολόγων omnium ætatum ab Aposto-  
 lis usque Φωσφόρος sit. Nec tanti nos facimus, ut existimemus  
 dignum nos aliquid tanto doctore posse dicere. Ideoq; quod Sa-  
 lustius de Carthagine scripsit; satius est silere hîc, quam pauca,  
 neque illa pro dignitate & merito tanti viri, Theologorum prin-  
 cipis & daduchi & Coryphæi dicere, qui verè ecclesiam, cum ter-  
 ream initio acciperet, marmoream nobis decedens reliquit, quomo-  
 do Svetonius de Augusto Imperatore scribit, quod in Romæ præ-  
 stiterit. Nil oriturum aliàs, ortum nil tale videmus. Nulla fe-  
 rent talem secla futura virum. Michael Neander, Theologiâ  
 Christianâ, titulo de Politia, fol. 666,

### MENDACIUM XXIII.

Artic. eodem. *Quid fiebat, inquit, in monasteriis?*  
*olim erant schola sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum*  
*&c.* Bellarminus addit ἐπίκαιρον; At non ita describunt no-  
 bis monasteriorum exercitationes Hieronymus ad Eusto-  
 K chium

chium, Augustinus, Cassianus, Benedictus in regula, & ante hos omnes Basilus. Hi siquidem omnes meminerunt obœdientiæ, continentiæ, pauperratis, jejuniorum, vigiliarum, silentij, Psalmodiæ, solitudinis, ciliciorum & similia rerum; At humanarum disciplinarum, physicæ, Dialecticæ, Oratoriæ ac Poëticæ artis, ne verbo quidem meminerunt. Viderit ergo Philippus, ubi scholastica & Politica monasteria somniaverit.

Resp. Philippum non id solùm dicere, monasteria olim fuisse scholas aliarum disciplinarum, sed præmittere, quod fuerint scholæ sacrarum literarum. Non itaque somniavit monasteria merè scholastica ac Politica. Interim non scholas tantum fuisse monasteria, sed scholas artium quoque ac disciplinarum, doceat Bellarminum Confutatio Augustinæ Confessionis sic dictæ, & Caroli Cæsaris ac principum Papisticorum nomine conscripta ad hunc ipsum articulum; *Das die Klöster vorzeiten sind Schulen gewesen / wird nicht geleugnet / vnd ist dennoch nicht unbewust / das erstlich Schulen der Gottseligkeit vnd Christlicher Zucht gewesen. Da hernach die studia anderer Künste darzu kommen. Doceant idem testimonia domestica Trithemij, Bruschi, Vincentij, Cassandri, exempla item monasteriorum, Lexoviensis, Theolegiensis, Heimerani, Mamelsburiensis, Altendorfensis, Sangallensis, Fuldensis &c. collecta à Rudolpho Hospiniano. Libro iv, de Origine & progressu monachatus apud Christianos Cap. xxiii, cui titulum fecit; *Monasteria pleraque hujus secundæ classis post Benedicti tempora fuisse scholas.**

#### MENDACIUM XXIV.

Articulo de Potestate ecclesiasticâ. *Facile possent episcopi*

*piscopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare  
 traditiones, quæ bonâ conscientia servari non possunt. Nunc  
 imperant cœlibatum, nullos recipiunt, nisi jurent se puram evan-  
 gelij doctrinam nolle docere.* Bellarminus ad hæc: Osten-  
 dant si possunt, quis unquam episcopus exegerit juramen-  
 tum, de non docendâ purâ evangelij doctrinâ. Nisi forte  
 nomine puræ doctrinæ hæreses intelligi velint. Pra-  
 xis enim ecclesiæ habet, ut exigatur à Pastoribus jura-  
 mentum de non docendis hæresibus, & de Scripturâ non  
 explicandâ nisi juxta consensum Patrum, & hoc, ut erro-  
 ribus & impuritati doctrinæ aditus præcludatur. Neque  
 verum est cœlibatum imperari, sed tantum exigi ut con-  
 ditionem ad sacerdotium necessariam: Quemadmodum  
 enim liberum est unicuique, sacros ordines non suscipere,  
 ita quoque liberum est, cœlibatum non servare,

Resp. (1.) Satis est, concedere Bellarminum, episco-  
 pos Pontificios nullos recipere ecclesiarum ministros, nisi  
 jurent, se illam quam nos *puram evangelij doctrinam*, ipse  
 pro suâ dicacitate *hæreses* vocat, nolle docere.

(2.) Scripturam non juxta consensum Patrum (de quo,  
 an haberi hodiè possit, viri doctissimi Pontificijs non le-  
 vem controversiam mœvent) sed *ex semet ipsâ* interpre-  
 tandam esse, Patres ipsi docuerunt. Id hic summarie suf-  
 ficiat probasse verbis Iesuitæ Antonij Possævini τὸ κατη-  
 γόγῃ, Apparatu, verbo *Conradus Halberstadiensis*, item ver-  
 bo, *S. Thomas; Quæ similitum locorum* (Parallela nos voca-  
 mus) *recta dispositio, tanti semper aestimata est à PATRIBVS,*  
*& præsertim à D. HILARIO, ut hanc rationem eruendi è di-*  
*vino codice sensum, OPTIMAM esse existimaverint.* Nec  
 aliter jam olim sensit S. Augustinus Libro 11. de doct.  
 Christianâ pene toto.

(3.) Cœ-

(3.) Coelibatū apud Papistas imperari sub conditione illā, si velis fieri sacerdos, intelligimus, & rectè tamen asseveramus coelibatū apud illos imperari. Etsi enim imperatur sub conditione fidelibus, nempe si velint Sacris initiari, tamen initiatis nulla superest conditio, ejus intuitu libertas ipsis & eorum ordini dici possit salva remanere. Isti igitur hominum statui sive ordini absolute adimitur libertas contrahendi matrimonium, quod per ecclesiam fieri non posse, fatetur Becanus Man. L. 1, Cap. XI II, Conclus. v, §. 31. Poterant hic aliquanto plura addi, sed causæ sunt quæ jubent abrumpere. Finio  
 scriptionem, & mea facio verba Philippi ad Camerarium; *Ego nostram doctrinam ita certam & firmam & validam esse judico, ut nulla ratione, nulla sapientiâ, nullo denique pacto convelli possit unquam. Vis si fortè offeratur, affigere illa nos poterit, veritatem quam nostra doctrina proficitur, non opprimit.*

Epistolis,  
 fol. 276.

F I N I S.



Gilb

33833

1280-

**Sammelband.** 33 Schriften zur Reformationgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu  
Überapparat angebracht

4/187/10



